







LAVRENTII VALLAE, VIRI TAM græcæ quàm latinæ linguæ doctissimi, in nouum testamentũ annotationes, apprime utiles.



BASILEAE, M. D. XXVI.



SPLENDIDISSIMO ATQVE ornatiſſimo uiro Chriſtophoro Fiſchero, protonotario apoſtolico, ac pōtificij iuris doctori, Eraſmus Rot. S. P. D.



Aeſtate ſuperiore quum in peruetuſta quapiā bibliotheca uenarer (nullis enim in ſaltubus uenatus iucundior) forte ī caſſes meos incidit præda neutiquā uulgaris, Laurētij Vallæ in Nouū teſtamentum annotationes. Hanc equidē illico magnopere uolebam ſtudioſis omnibus impertire: uidelicet ingeneroſum eſſe ratus, quod uenando nactus eſſem, id ſolum me ac tacitū deuorare. Sed deterrebat nonnihil, cum uetus illa Laurentiani nominis inuidia, tum hoc argumentum multo in ſpeciem inuidioſiſſimum. At tu ſimul atque librum euolueras, non ſolum meam opinionem tuo grauiſſimo iudicio confirmaſti, uerumetiam hortari, atque adeò conuicijs extundere cœpiſti, nè propter paucorum oblatrationes, ſimul & autorem merita gloria, & tot millia ſtudioſorum tanta commoditate fraudarem: negās dubitare te, quin opus illud ſanis & cādidis ingenijs ut utiliſſimū, ita & gratiſſimū eſſet futurum: cæterum alios cū ſuo morbo fortiter eſſe negligēdos. Deniq; patronū te propugnatorēq; offerebas, exiret modo in publicū, uel tuo unius periculo. Equidē opinor

ornatissime Christophore, Vallam tuum, tametsi per se non instrenuus inuidiæ contemptor semper fuit, tamen aliquanto fidentius in aciem proditurum, tanti uidelicet tāmque inuicti ὑπερασπιστοῦ fretum præsidio, tum hac præfatione uelut Aiacis clypeo præmonitum. In qua quidem, ex tua sententia, de huius operis ratione, atq; utilitate differemus: sed si paucis prius generalem Laurentiani nominis inuidiam fuerimus amoliti. Primum igitur, si candorem quē ab alijs exigimus, ipsi præstaremus ijs, erga quos non solum non maligni, uerumetiam grati esse debemus, profecto Laurentianum nomen apud omneis, qui bonas amant literas, pro inuidioso gratum, ac uenerandum haberetur. Quippe qui studio restituendæ rei literariæ, partes multo odiosissimas sciēs ac prudēs sibi sumpserit. Neq; enim non uidebat uir acutus, tam inueteratum morbum non posse sanari, nisi tristibus pharmacis, usturis, ac sectionibus, idq; magno cum dolore plurimorum. Neque uero nesciebat, adeò delicatas esse mortalium aureis, ut uix etiam inter bonos uiros inuenias, qui uerum libenter audiat: foreq́; ut non ij tantum exclamarent, quorum hulcera tetigisset, uerumetiam illi, qui ex alieno malo sibi metum fingerent. Tamen pio quodam calore percitus, nullū laborem, nullam recusauit inuidiam, modo paucis non ingratis, omneis autem gratos esse oportebat, beneficium suum commendaret. At nunc nostro uitio fit,

ut

ut præpostere, obsequium amicos, ueritas odium pariat. Sed fœnum, inquiunt, habet in cornu, & neminē nō lacerat. Itáne tandem lacerare uocant, dissentire in literis? ac docēdi studio cū plurima laudaris, paucula quædam sugillare? Quod si iuxta Fabiū nihil tam efficax est in docendo, quàm in artificum operibus non imitanda modo, sed etiam uitanda quæ sint, commonstrare: quanto magis idem oportebat in dedocendis facere? Ausus est Laurentius in autoribus aliquot uoculam taxare. Indignum facinus. Quasi uero nō omnia penè in omnibus reprehenderit Aristoteles, quasi non totam Ciceronis dictionē contempserit Brutus, Maronis ac Liuij Caligula, Senecæ Fabius atq; Aulus Gellius, Augustini Rufiniq; Hieronymus, postremo Quintiliani Philelphus. Quid qđ Plinius non credit, librum suum amico placuisse, nisi cognouerit quædam displicuisse? Adeò uitio danda non est, ut etiam uehementer optanda sit ista in studijs dissensio, conflictatióq;, quam Hesiodus utilissimam esse mortalibus scripsit, modo ne in rabiem exeat, ac citra conuicia consistat. Mihi quidem sano non gratior sit amicus applausor, quàm uel inimicus reprehensor, dum ne planè sutor ultra crepidam. Nā ut nunquam ferè non nocet laudator, ita semper prodest reprehensor. Etenim si uere reprehendit, discedo doctior: sin falsò, tamen acuor, extimulor, expergiscor, reddor attentior, cautiórq;, animor ad defensio

nem ueri. Siquidem minus acre calcar habet gloriæ cupiditas, quàm ignominiæ metus. Iam uero quod quosdã in totũ damnauit: quid, obsecro, tam erat necessariũ, quàm indoctis autoritatem, hoc est, ὄνῳ τὴν λεοντὴν detrahere? ne turba imperitorum, pessima pro optimis sequeretur? Quibus in rebus si quando uir ille uidetur nimis excandescere, non huius uitio, sed deprauatoribus istis erat imputandũ. Deniq; nimio consultius fuerat alieno uti uitio, quàm ob unam maculã, à tot cõmoditatibus alienari. Sunt enĩ prorsum quædã ἀναγκαῖα κακὰ, quibus tamẽ uel sua causa sapiẽtes uti cõsueuerunt. Postulabãt sic deprauatæ, sic contaminatæ literæ, audacem zoilũ, ac βαρβαρομάστιγα magis quàm Partheniam, id est acrem censorem, ac planè Minoũ quempiam, & si uis etiã contumeliosum, qui nimirũ auderet ἀπὸ ὄπαρδ' εἶν πρὸς τὰς βροντάς, ut uetus habet Comedia: quiq; malo nodo malum cuneum adhiberet. Itaq; unius Laurentij mordacitas, siquidem ita malunt appellare, nõ paulò plus conduxit rei literariæ, quàm plurimorũ ineptus candor, omnia omnium sine delectu mirantium, sibiq; inuicem plaudentium, ac mutuum, quod aiunt, scabentium. Quod si quis perpenderit, quàm fœde disciplinas omnis confuderint isti Gothi, quãto supercilio suã inscitiã perdoceãt, quàm stolida peruicacia et propriã tueantur ignorantiã, & alienã eruditionẽ aspernẽtur: fortasse permodestus uidebitur Vallæ dolor,

lor, pia stomachatio, ac necessaria magis quàm pro-
cax reprehensio. Quæ quidem uel ob hoc ipsum fauo
rem eruditorum promerebatur, quod quũ per se sit
inuidiosa, tamen est ab Laurentio nostri iuuandi cau-
sa suscepta. Ac uide quæso, quàm hic studio sumus ini
qui, imò quàm nobisipsis inutiles. Pogius Rabula, Pogius Ra
adeò indoctus, ut etiã si uacaret obscœnitate, tamẽ in bula.
dignus esset qui legeretur: adeò aũt obscœnus, ut etiã
si doctissimus fuisset, tamen erat à bonis uiris reijci-
endus: Hic inquam talis, ut homo candidus scilicet, si
ne inuidia passim habetur in manibus, lectitatur, in
nullã nõ linguã transfusus. Laurẽtius neq; obscœnus, Laurentij
& cẽtuplo doctior laborat inuidia mordacitatis, at- laus.
que ut cornupeta uitatur, etiã ab ijs, qui scripta homi
nis nũquã legerũt. Sunt enim, qui, quod est nimis pro
fecto ridiculũ, nihil quicquã de Valla didicerũt, nisi
quod est mordaculus, atq; hac una in re illũ imitãtur,
uel superant potius, mordẽt etiã ignotum. Prorsusq;
homines sapientes, ideo perpetuò barbari esse præo-
ptãt, quod mordax est Laurẽtius. Quin Epicteti ma
gis pulcherrimã regulã sequuti, ea queq; ansa prehẽ-
dimus, qua cõmode teneri queat: hac nimirũ, qua Ver
gilius Enniũ, Cyprianus Tertullianũ, Hieronymus
præter alios Origenẽ, Augustinus Thiconiũ, arripue
rũt. Laurentiũ, quũ tam multas habeat ansas, quibus
possit utiliter teneri, cur hac sola apprehẽdimus, qđ
est mordacior? Cur non potius leue uitium tot uir-

tutibus compensamus? Imò cur ingrati necessariam libertatem, maledicentiæ titulo deprauamus? Sed his de rebus hactenus. Nunc ad ea ueniendum, quæ huius argumenti sunt propria. Futurum enim auguror, ut quidam uixdum perlecto operis titulo, prius quàm de re cognoscant, illico τραγῳδικῶς sint exclamaturi, O cœlum, ò terra: quũ belle moneat Aristophanes in Pluto: οὐ σχετλιάζειν καὶ βοᾶν, πρὶν ἂν μάθῃς. Atq; haud scio, an hi sint omnium odiosissime obturbaturi, ad quos maxima pars utilitatis pertinet, nempe Theologi. Non ferenda (inquiẽt) temeritas, hominem grammaticum, post uexatas disciplinas omnis, ne à sacris quidem literis petulantem abstinere calamum. Atqui si Nicolaus Lyra auditur, non dico indoctus, sed certe recens, Hieronymum γέροντα γωγῶν, multaq; conuellens, tot iam seculorum cõsensu consecrata, idq; ex Iudæorum libris, unde ut donemus nostram hanc manare æditionem, tamen haud scio an studio deprauatis: quod tandem flagitium est, si Laurentius collatis aliquot uetustis, atq; emendatis Græcorum exemplaribus, quædam annotauit in nouo testamento, quod sine controuersia totum ab illorum fontibus manat, quæ uel dissonent, uel dormitante interprete parum commode reddita uideãtur, uel quæ significantius ab illis dicantur, postremo si quid apud nos deprauatum appareat? An dicent non idem esse iuris Vallæ grãmatico quod Nicolao theologo?

logo? ut ne respōdeam interim, Laurētium à magnis uiris inter philosophos quoq; ac theologos referri. Lyra quū uocem excutit, tum theologi, ac non magis Grammatici uices agit? imò totum hoc, diuinas uertere scripturas, Grammatici uidelicet partes sunt. Neque uero absurdū, si quibusdam in rebus, plus sapit Iethro quàm Moyses. Ac ne ipsa quidem opinor, disciplinarum omnūi regina Theologia, ducet indignum admoueri sibi manus, ac debitum exhiberi obsequiū, à pedissequa Grammatica: quæ tametsi nonnullis est dignitate posterior, nullis certe opera magis necessaria. In minimis uersatur, sed sine quibus nemo euasit maximus: nugas agitat, sed quæ seria ducant. Quod si reclament, maiorē esse Theologiā, quàm ut Grammaticæ legibus teneatur, totum interpretandi negociū de sacri spiritus afflatu pēdere. Noua uero Theologorum dignitas, si solis illis licet barbare loqui. Sed expediant interim, quid sibi uelit, quod Desyderio suo scribit Hieronymus. Aliud est (inquiens) esse uatem, & aliud interpretem. Ibi spiritus uentura prædicit, hic eruditio & uerborum copia, quæ intelligit, transfert. Tum quorsum attinuerit eundem de ratione uertēdi diuinas literas præcipere, si facultas ista diuino contingit afflatu. Postremo cur Paulus in Hebraica lingua quàm Græca disertior. Quod si fieri potuit, ut ueteris interpretes testamenti errauerint alicubi, in his præsertim in quibus fides nō uiolatur,

Grāmatici partes.

Theologorum dignitas barbare loqui.

quidni potuerint labi & noui? Quod quidẽ Hieronymus non tã uertit, quàm emẽdauit, idq; modice, relictis (ut ipse testatur) uerbis, quæ potissimum excutit. Laurentius. Verũ num etiã nostros errores ad spiritum autorẽ referemus. Esto, bene uerterint interpretes. Sed bene uersa peruertũtur. Emẽdauit Hieronymus, at rursum deprauantur emẽdata: Nisi forte nũc aut minor audacia semidoctorũ, aut peritia linguarũ maior, aut nõ facilima deprauatio propter artem calchographicã, quæ unicũ mẽdũ repẽte in mille propagat exemplaria. At fas non est, inquiunt, in sacris scripturis quicquam immutare, propterea qđ illic ne apiculi quidẽ mysterio uacant. Imò tãto magis nefas est deprauare, tantoq; attentius corrigendũ à doctis, quod per inscitiam est adulteratũ: ea tamen cautione tẽperãtiaq;, quæ cum omnibus libris, tũ sacris in primis debetur. Verum non recte, aiunt, sibi sumit Laurentius, quod Hieronymus mandante Damaso suscepit. Ne propositum quidem simile. Hieronymus ueterem æditionem noua sustulit: Laurẽtius quod annotauit, in priuatos commentarios refert: neq; postulat, ut hinc quicquam in tuo codice demutes: Quanquam ipsa nostrorum exemplariũ uarietas, satis arguit ea nõ carere mendis. Porrò ut ueterũ librorũ fides de Hebræis uoluminibus examinãda est, ita nouorũ ueritas græci sermonis normam desiderat, autore Augustino, cuius uerba referuntur in Decretis distin. ix.

Quo

Quo quidem in loco neminem esse tam saxeũ arbitror, quin misereſcat, neminem tam ἀγέλαστον, quin rideat, insulsissimũ glossema, nescio cuius, somniantis Hieronymum in epistola ad Desyderium affirmasse, latina exemplaria castigatiora esse græcis, græca hebræis. Non uidit autem eum illatione rei palàm absurdæ, confirmasse quod proposuerat: atq; hæc uerba aliud est si, perinde ualere ac si dicas, nisi forte. Alioqui quæ tãdem dementia fuerat, alterũ testamentũ ab Hebræis uertere, alterum à Græcis emendare, si nostra erant utroque in genere meliora? Quorsum attinebat, ut in Viennensi concilio, quod refertur Cle. libro secundo, titulo de magistris, tam solicite statuerit autoritas ecclesiastica, de parandis trium linguarum doctoribus? Quo in loco rursus admiror, quo cõsilio græcã linguam eraserint. Verum hæc doctos admonuisse tantũ sat habeo. Illud audio quosdam dicere, ueteres interpretes, trium linguarum peritos, satis explicuisse, sicubi fuit opus. Primum malim ego meis oculis cernere, q̃ alienis. Deinde ut plurima dixerint, certe multa posteris dicẽda reliquerũt. Quid quod ut ea enarrantes intelligas, opus est mediocri linguarum peritia? Postremo ubi ueterum libros in omni lingua deprauatos, ut sunt offenderis, quò te cõuertes? Proinde uero uerius est, quod tu doctissime Christophore sæpenumero soles dicere, neq; cor neq; frontem esse ijs, qui audent non solum in sacros, sed

omnino in ullos ueterum libros ſcribere, ni literaturã utranq; mediocriter teneant. Fieri enim, ut quũ iſti moliuntur maxime, ſeſeq; doctiſſimos oſtentare conantur, ibi linguarum peritis ſint maxime deridiculi, totusq; ille tumultus prolata græca uoce eluditur. Quod ſi quibus non uacat totam Græcorum linguã perdiſcere, ij tamen Vallæ ſtudio non mediocriter adiuuabũtur, qui mira ſagacitate nouũ omne teſtamentum excuſſit, non pauca obiter annotãs & ex pſalmis: Quorum uſitata æditio à Græcis fluxit, non Hebræis. Plurimum itaq; ſtudioſi debebunt Laurentio: Laurentius tibi, per quem publicum accepit, cuiusq; & iudicio bonis ingenijs erit cõmendatior, & patrocinio contra maledicos inſtructior. Vale.

ADNOTATIONVM ELENCHVS.

IN EPISTOLAM DIVI PAVLI

LAVRENTII VALLAE VIRI TAM GRAEcæ quàm latinæ linguæ peritissimi, in nouũ testamentũ ex diuersorũ utriusque linguæ codicũ collatione annotationes, ad subdubios in sacra scriptura locos declarãdos quàm maxime conducibiles.

IN MATTHAEVM CAP. I.



ARIAE *de qua natus est Iesus qui uocatur Christus.)* μαρίας. Quid causæ est cur interpres græcus (Nã hebraice scripsit Matthæus) † utitur genitiuo græco hic in Mariæ nomine, alibi nominatiuo græco, inquiens: Nonne mater eius dicitur Mariam? Μαριὰμ in m non in a finitur. hoc nomen apud græcos hoc loco & accentu in fine, ut Abraham. Quod haud scio an Latinus interpres non animaduerterit, an ita potius transferendum putauerit, an postea sit scriptura corrupta. Sed redeo ad græcum interpretem. Certe cum dicit nominatiuo Mariàm, indeclinabile no-

† utatur

b

men esse significat. Cur ergo nūc declinauit Mariæ, præsertim contra legem Græcorum, qui talia nomina nō declinãt? Ac ne Abraham quidẽ, quod nos nonnunquam declinamus, nonnũquam indeclinatũ relinquimus. quod cur faciamus nescio. Nũc enim dicimus filij Abrahã: nunc, filij Abrahæ. Hoc ideo dico, quod declinando hoc nomen, facit simile alteri, quod declinatur, si modo alterum est, & non unum atq; idem. Nam cum in nominatiuo aliter nunc exeat, aliter cũ aliqua alia mulier nuncupatur, uidetur diuersum esse nomen matris domini, atq; aliarum, quarum fit in Euangelio mentio. Illarum enim nomen in a semper exit, ut Maria Magdalenæ, Maria Iacobi, Maria Iose, & si quæ sunt aliæ. At matris domini in am, & alio, ut dixi, accentu. Quod si Hebraice eodem sono efferuntur, cur Matthæus nunc, & Lucas aliquoties aliter extulit? Illud quidem flectendo per omnes casus, & in accusatiuo per an, hoc autem secus? Nam Ioannes nunquam eam nominatim appellat, sed matrẽ Iesu, Marcus semel eius genitiuo utitur. Ex quo colligere possumus, nonnihil fuisse differens nomen matris domini, atq; aliarum, quas nominaui. Quare uiderint ij qui instituerunt illud ex euangelio Lucæ, ut legatur in festo matris domini, quod de Maria Magdalenæ dicitur: Maria optimã partem elegit, quæ nō auferetur ab ea. Nam si aliud est nomẽ Magdalenæ, aliud matris domini, non potuit fieri hæc allusio nominis.

Maria, Mariam.

minis? Quoniã de accẽtu feci mẽtionẽ, recẽsebo breuißime quædam nomina, quæ solent quidam in sacris scripturis corrupto accentu proferre, uel correpta producentes, uel producta corripientes. Quæ correpta producuntur, hæc sunt, Andreas, Timotheus, proselytus, euronotus, Iechitus, anathema, simphonia, sicera, idea, butyrũ, cedrinus, crystallinus, adamantinus, cophinus, Origenes, Aeneas, qđ Homerus producit, aliter scriptũ, & alij nõnulli poëtæ. Sed qđ apud acta apostolorũ scribitur, ut apud Thucydidem, Zenophontemq́;, & quosdã alios, media breui est. Philémonem quoq;, quod est illis simile Palemonem, Sarpedonem, Canonem. Quæ producta corripiuntur sunt hæc, Simónem, quod est simile illis, Symeonem, Sampsonem, Solomonem, Iosephus, Iacobus, Sidonis, licet eo poëtæ abuti soleant, idolum, idoliũ, idolathitum, brabium, & si media litera uulgo scribitur u, non b. Ortigometra, eucharistia, cenomia, latria, idololatria, sex syllabarũ, nõ ut pleriq; scribũt, pronunciantq́; quinq;. Beronica, Thessalonica, antiphona, characteris, stateris, eremus, cui male apponitur aspiratio. Arrius sicuti Darius, sinapi, hyssopum, idumæa, Iturea, Cæsarea, licet de hoc dubitari potest. In sagena pauci peccant. Hæc de Græcis. Nam de Hebræis nihil dicere habeo, nisi hoc unũ mirari me, cur pleraq; eorum cum nos, tum uero Græci accentu acuto in fine pronuncient. De qua natus est Iesus) ἐξ ἧς

Accentus deprauati.

Quæ correpta producuntur.

Quæ producta corripiuntur.

ἐκ ἐγγυνήθη. Græci nõ habent duas præpositiones ut nos, de & ex, sed tantũ ex, diuersæ tamen uocis, quẽadmodũ apud nos, è & ex, siue à. & ab sequente uel uocali, uel consonante, quam suo arbitratu interpres transfert, modo ex, modo de. Quod nescientes aiunt, ideo dici conceptus de spiritu sancto, ex Maria uirgine, quod aliud sit de, aliud ex. Quod uerum non esse, duntaxat in euangelio, saltem ex loco hoc admoneri debebant. Ergo Iesus conceptus est ex spiritu sancto, & natus de Maria uirgine. Nolo argutius quærere, utra harum præpositionũ, utro in loco sit accõmodatior. Illud potius quæram, cur dixerit, natus, quemadmodum paulò post. Cum ergo natus esset Iesus, τοῦ δὲ ἰησοῦ γεννηθέντος. & quibusdam alijs locis, cum græce dicatur genitus, ipsius quoq; interpretis testimonio, qui ita traducit, Liber generationis, γενέσεως. Et iterũ: Generatio autem Christi sic erat, γέννησις. Et iterum: Abraham genuit Isaac, Isaac autẽ genuit Iacob, ἐγέννησεν, & alijs etiam in locis. Et sane genitum dici, nõ natũ, ex hoc constat, quod græca uerba sunt eadem penè, quæ latina à nomine genus uenientia: quanq̃ dubitari potest, an genus à gigno, cuius præteritũ est genui, fiat: an hoc uerbũ ab illo nomine, à cuius supino genitũ. Quia non fit genitio, & si ratio poscit, mutuamur generatio à supino uerbi genero, quod à genus utiq; descendit, nõ autem ut pariũ perite Priscianus ait, genus à genero, Hoc cum ita sit,

cur

cur nō transtulit interpres, per genitus potius, quàm per natus? An quod ad patrem tantū gignere pertinet, sicut ad solam matrem concipere? Minime, siue latine id dicas, siue græce. Latine quidem, ut apud Valerium maximū, Socrates matre obstetrice, & patre marmorario genitus. Apertius apud Quintilianū: Si adeò nō genuit filiū, sed effudit, & ex illo infelici partu ingratū uteri pondus exposuit. Græce autem hoc est ipso teste interprete, Beatæ steriles, et uentres qui nō genuerunt ἐγγύνησαν. Ergo ad matrem quoq; gignere pertinet, ideoq; ut genitor, ita & genitrix dicitur: sed ipsum eius gignere est parere, ut quæ modo attuli exempla testantur, & ipse interpres qui in Luca ait: Elizabeth autem impletū est tempus pariendi, & peperit filiū, ἐγέννησε. & in Ioanne: Postquàm pepererit filium. Potuit igitur interpres transferre natus, pro genitus. Nec solū potuit, sed etiam debuit, ne diceret obscure. Cū ergo genitus esset Iesus. & alibi, Et multi in natiuitate eius gaudebunt, γεννήσει. Et alibi, Bonum fuisset ei, si natus nō fuisset homo ille, ἐγεννήθη. Vt intelligāt se errare, qui ad probandum melius esse, homini male esse, quàm nō esse. hunc locum contra ipsos facientes, ita conantur eludere, quod non dixit dominus, Si nunquam genitus fuisset homo ille, sed si nunquam natus, cū forsitan debuerit magis transferri genitus, quàm natus. Non enim ad matrem magis quàm ad patrē illud gignere perti-

Genitus. Natus. Gignere

net, siue ad partum magis, quàm ad conceptũ. Quod si græcarum literarum ignorantia decipiebantur, tamen prudentia poterant ueritatem coniectare, cũ nõ longe post dicatur: quod in ea natũ est, de spiritu sancto est γεννηθὲν. Non enim tũc natus erat Iesus, sed conceptus, siue ut græcum uerbũ significat, genitus. Ex quo uidetur etiam mater gignere cũ concipit. sed forte dictum est more aliarum mulierũ, prout à qui-

Eniti. busdam dicitur, Mater domini enixa. cũ eniti sit cum conatu & labore parere, quod in matrem domini nõ cadit, quod græce eleganter ὠδίνειν hoc est, cum dolore parere. Vocem autem hanc græcã, de qua agimus, posse transferri, uel genitus, uel natus, probat Aulus Gellius, qui ita epistolã Philippi regis ad Aristotelẽ trãsfert: Filiũ mihi genitum scito, quod equidem dijs habeo gratiam, non proinde quia natus est, quàm pro eo quod eum nasci contigit temporibus uitæ tuæ. ἴσθε μοι γεγονέναι ὑὸν πολλὴν οὖν τοῖς θεοῖς χάριν ἔχω οὐχ οὕτως ἐπὶ τῇ γενέσει τοῦ παιδός, ὡς ἐπὶ τῷ κατὰ τὴν σὴν ἡλικίαν αὐτὸν γεγονέναι. Hæc hactenus dum illud addam, nõ esse græce, cũ ergo: sed, cum autem natus esset Iesus, τοῦ δὲ ἰησοῦ γεννηθέντος.

Cum desponsata esset mater eius Maria Ioseph, priusquam conuenirent, inuenta est in utero habẽs) duæ dictiones desunt, Nam sic legitur græce: Cum enim desponsata esset mater eius priusquã ipsi conuenirent, μνηστευθείσης γὰρ τῆς μητρὸς αὐτοῦ μαρίας

Μαρίας τῷ Ιωσὴφ πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτούς. In utero habens, græcanice dixit, pro prægnans, quod rarissime in nouo testamento inuenio, ut iterum paulopost. Et ad Thessalonicenses: Sicut dolor in utero habentis. Quale est apud Esaiam: Propter timorem tuum domine in utero accepimus & doluimus. Non solum dure in utero accepimus, sed etiam & forte durius doluimus pro peperimus, siue enixi sumus. Ob id autem quod dicitur, priusquam conuenirent, nõ sequi ut postea conuenerint, probat copiosissime Hieronymus aduersus Heluidium: sed è sacris libris. Verum quo magis Heluidiana stultitia pateat, afferam pauca è libris non sacris exempla, qualia sunt infinita. Vergilius: Sed mihi uel tellus optem prius ima dehiscat. Quasi posset prius Dido deuorari à terra, deinde pudorem uiolare. Cicero: Vtinam Publius Clodius non modo uiueret, sed etiam pro consule dictator esset, antequàm hoc tantum speculum uiderem. Quod si quis dicat accipi prius nunc & ante pro potius: & si inanis responsio est, afferam græcum autorem, ut græca sunt euangelij uerba. Thucydides: Remittunt igitur prius hominem quàm audierunt, quũ certe illum nunquam postea audierint. Plura afferrẽ exẽpla, nisi omnes sic loquerentur, antequàm absolueret domũ, decessit. Hominẽ priusquam occideret me, occidi. ut de hoc aduerbio disputat Hieronymus aduersus eundẽ, ita in aduerbio donec ostendit non uti

que aliquid significari postea subsequutum, ut in illo, Nec cognouit eam, donec peperit filium. Nõ enim se-qui, Ioseph post partũ eam cognouisse. quam disputationem uel non tenens memoria, uel nõ satis probãs Remigius, ita locũ hunc exponit: Nec cognouit eam, & peperit filiũ. uidelicet donec pro & accipit, quasi aliud sit donec, quàm usquequo, siue usq; dũ, siue quoad, siue, ut solet interpres transferre, quoadusq; ἕως οὗ. Nunquid quodlibet horũ aduerbiorũ uellet interpretari per &? Mihi quidem suo sermone Remigius uidetur innuere, Ioseph peperisse potius quàm Mariam. Et nollet traducere eã) παραδειγματίσαι. (quia Ioseph erat uir iustus) uidetur noluisse ad se traducere Mariam, tanquam ipso indignam. Atqui diuersa sententia est, ac penè contraria. Non enim sui honoris habuit rationem Ioseph, sed Mariæ, ne illam ad populum traduceret exemplo alijs futuram. Nam ab exemplo hoc uerbũ uenit, quod si liceret transferre, diceremus exemplar. Scilicet dare exemplo, habere est ostentui, ut ad Heb. ostentui habentes. Quoniã facere quempiam exemplũ cæteris, est tradere illum ostentui habendũ. Ideo cũ alij multi philosophi, tum uero Plato in Gorgia inter genera pœnarum posuit exemplum. Vnde apud Terentiũ in Eunucho, ac cæteros, accipitur exemplũ pro atroci pœna. Ergo non implet uim græci uerbi nostrũ traducere, quemadmodum apud epistolam ad Coloss. etsi nõnihil diuersum sit

ſit græce, ſpoliãs principatus & poteſtates, traduxit
confidenter triumphans illos in ſemetipſos, ἐδειγμά
τισεν. Proinde ad huius uerbi ſenſum aperiendum
transferam locum quendam Demoſthenis contra Ae
ſchinem falſæ legationis, ἂν μέντοι διὰ πονηρίαν ἀρ
γύριον λαβόντων καὶ δῶρα καὶ τοῦτο ἐξελέγχ
θῃ σαφῶς ὑπ' αὐτῶν τῶν πεπραγμένων μάλισα
μὲν εἰ ὄνοιντε ἀποκτείνατε. εἰ δὲ μὴ ζῶντα τοῖς
λοιποῖς παράδειγμα ποιήσατε, id eſt: Quod ſi
per facinus pecunia muneribusq; acceptis, et hoc pla
nè coarguatur ex rebus ipſis, quas geßit: præcipuũ
quidem fuerit ſi poteſtis ut occidatis: ſin minus, uiuen
tem cæteris faciatis exemplũ. Ita hic dicendum erat,
Et nollet eam facere exemplũ. Quanq̃ poteſt uideri
interpres perq̃ elegãter dixiſſe traducere, pro eo qđ
eſt in publicum & in apertũ, atq; ad iudices ducere.
Vt eſt apud Petroniũ arbitrũ: Protendo igitur ad
genua ueſtra ſupinas manus, petoq; & oro, ne noctur
nas religiones riſum iocumq;, néue traducere uelitis
tot amicorũ cõſilia ſecreta, quæ uix mille homines no
uerunt. Volebat occulte dimittere eã) ἀπολῦσαι.
Nõ accipitur nunc dimittere pro relinquere, ſed pro
miſſam facere atq; repudiare. Et proinde occulte, ne
cæteri ſcientes hoc, eam ad pœnã uocarent. Quod
dictum eſt à domino per prophetam dicentem: Ecce
uirgo in utero concipiet) Græce ambiguũ eſt ad utrũ
referatur, dicẽtem, ad dominũ, an ad prophetã. Ego

ad dominū mallem referre, ideo dicente dicerem λέγοντος. Verius legitur in ijs codicibus, ubi scribitur, in utero habebit: quia superuacuum est in utero dicere, cum dicatur concipiet. Et ita græce habet, ἐν γαστρὶ ἕξει. Sed ego transtulissem: Ecce uirgo concipiet. Idem enim pollet concipiet, quod in utero habebit.

CAPVT II.

Et uenimus adorare eum) Temporis præteriti est, ideoq; acuit antepenultimā, ἤλθομεν. Et congregans omnes principes sacerdotum & scribas) ἀρχιερεῖς. Nescio an liceat dicere, Princeps sacerdotum, ad græcæ uocis imitationem: quia latine, ut sæpe transfert interpres, dicitur pontifex. Nā præ-

Præsul.

sul, quo quidam pro pontifice utuntur, dicebatur primus inter sacerdotes Martis, qui Salij à saliendo uocabantur. Ex te enim exiet dux) Exibit ego dixissem, non exiet. Diligēter didicit.) Vnū græce est uerbum, quod dici poterat, uel exquisiuit, uel rimatus uel perscrutatus est, ἠκρίβωσε. idē penè uerbum, cū ait: Ite & interrogate diligenter de puero) ἐξετάσατε ἀκριβῶς, quod transferri poterat: Profecti inuestigate, uel rimamini, uel exqrite, ut mox facit interpres.

Secundum tempus quod exquisierat à Magis) ἠκρίβωσε.

Magi.

Magos non esse maleficos illos qui à iure damnātur, cum Xenophon, Platoq;, & alij multi ostendūt, sed sacrificulos ac religiosos, tum Herodotus gentem quandam Medorum esse tradit, & unum illorum occupasse

occupasse regnum Persarum, etiam uiuente Cambyse quem septem Persae, falso se Cambysis fratrem esse dicentem, & regno & uita priuauerunt. Quod etiam Hieronymus super Danielem docet, inquiens: Cõsuetudo autem & sermo communis Magos pro maleficis accipit, qui aliter habentur apud gentem suam, eo quod philosophi Chaldaeorum, & ad artis huius scientiam periti, reges quoq; & principes eiusdem gentis, haec omnia faciunt. Vnde in natiuitate domini saluatoris ipsi primũ ortum eius intellexerunt. Et intrantes domum inuenerunt puerũ cum Maria matre eius.) Non est graece intrantes, sed uenientes in domum. quasi uenientes ad domum ne uideantur, quod absit, intrando irrupisse in domum, ἐλθόντες εἰς τὴν οἰκίαν. Cum Maria matre sua, dicendum erat, quoniam reciprocum est. Sed graeca uox decepit interpretem, ut alijs quibusdã locis, quae annotabo. Et apertis thesauris suis.) Thesaurus graecum nomen est, non tractum ab auro. Ideoq; legimus thesauros niuis in Iob. Et in Plauto, thesaurũ auri, quod uidelicet poßit esse & aliarũ quoq; rerũ. Infinita sunt apud Graecos exempla, quanquam etiam ex hoc palàm est, quod in thesauris Magorum myrrha & thus. Nec inficior raro sic apud nos usurpari. Sed ut Paulus Iurisconsultus definit, inquiẽs, Thesaurũ esse ueterẽ quandã depositionẽ pecuniae. Et procidentes adorauerũt eũ) πεσόντες, graece est cadẽtes, siue lapsi. Quẽadmodũ Thesaurus

& apud Lucā: Et ecce uir plenus lepra uidens Iesum, procidēs ad genua Iesu πεσών. & apud utrūq; horū Euangelistarū de domino loquentiū dicitur: Procidit in faciē suā, quod est græce, cecidit ἔπεσε. aliter enim alio in loco dicitur apud Lucam, procidit. Quod cū uideret Petrus, procidit ad genua Iesu προσέπεσε. nescio cur hic transferat procidens, & posterius cadēs, Si cadens adoraueris me πεσών. Nisi more suo gratia uarietatis, ut ad Corinth. I. Et ita cadens in faciē adorabit deum, pronūcians, quod uere deus in uobis est πεσών. quo magis miror Hieronymū ita scriptū reliquisse super Danielem, omnem scripturam sanctam mente percurrens, nisi me tamen fallit obliuio, nequaq̄ reperio, quod sanctorū quisquam cadens deū adorauerit: sed quicunq; idola, & dæmones, & res illicitas adorauerit, cadēs dicitur adorare. Et responso accepto in somnis) χρηματισθέντες, Idem uerbū est, responso accepto, quod in illo: Et admonitus in somnis. Responsum pro oraculo accipiendū est, ut optime trāsferri possit, accepto oraculo. Surge & accipe puerū) Græce est, excitatus. accipe puerū. Hic sermo est sine cōiunctione ἐγερθεὶς παράλαβε. Ideoq; mox per unum uerbū idem locus transfertur. Qui consurgens nocte, accepit puerū) ὁ δὲ ἐγερθεὶς participium præsentis pro præteriti. Qualia multa tanquā parua omitto. Vox in Rama audita est, ploratus & ululatus multus.) Deest uagitus siue planctus.
Tria

Tria enim sunt nomina, non duo, θρῆνος καὶ κλαυθμὸς καὶ ὀδυρμός.

CAPVT III.

VEnit Ioannes baptista, prædicans in deserto Iudææ, & dicens: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnũ cœlorũ) Venit, temporis est præsentis. & appropinquauit legendũ est, nõ appropinquabit. quod nũc ait, pœnitẽtiã agite, alibi græco respõdere uolẽs, ait, pœnitemini μετανοεῖτε, Pœnitemini & credite Euãgelio. Prædicãs, græce est præconizans, παραγίνεται κηρύσσων, καὶ λέγων, μετανοεῖτε, ut in epistola Petri altera: Noë iustitiæ præconẽ. κήρυκα, Licet proprie transferri hoc nomen solet caduceator, qui est legatus temporibus belli. Et sanè apostoli ac sancti uiri, legationis officio fungebantur, à deo missi ad nos hostes suos, & quasi cum illo bellũ gerentes. Vnde legatũ se dei Paulus ait ad Ephesios scribens, Euangelij pro quo legatione fungor in catena. Licet aliud sit hoc uocabulum, πρεσβεύω. Pilis camelorũ) Græce cameli est, nõ camelorum, & sanè elegantius dicitur in singulari. Vt pili leonis duriores sunt pilis ursi, & pẽnæ aquilæ sunt fortiores pennis anseris, potius quàm leonũ & ursorũ & aquilarum & anserum καμήλου. Facite igitur fructũ dignum pœnitentiæ) Casu genitiuo pro ablatiuo usus est, quia græce sic legebat interpres, μετανοίας, quẽadmodũ alibi, ut in psalmis, si modo idem fuit inter-

pres: Eripiens pauperem de manu fortiorum eius, αὐτοῦ. *Quia graeci comparatiuo quoq; genitiuum applicant, ablatiuo carētes.* Itidem fecit in Luca: Facite ergo fructus dignos poenitentiae. Et si hoc genus cōstructionis reperi apud Cornelium Nepotem in uita Attici. Non memini an alibi. Et ne uelitis dicere intra uos: Patrē habemus Abrahā. Dico enim uobis, quoniam potēs est deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae) Graece est: Et ne uideamini dicere intra uosipsos. et Abrahae datiui est, nō genitiui casus. Et potest potius quàm potens est. Vtinam nunquā in mentē uenisset illi qui primus instituit transferre, quoniam uel quia pro quod, qua dictione quasi obsolescit oratio. καὶ μὴ δόξητε λέγειν ἐν ἑαυτοῖς, πατέρα ἔχομεν τὸν ἀβραάμ. λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι δύναται ὁ θεὸς ἐκ τῶν λίθων τούτων ἐγεῖραι τέκνα τῷ ἀβραάμ. eadem penè uerba sunt apud Lucam: & Abraham datiui casus. Iam enim securis ad radicem arboris posita est, omnis ergo arbor quae non facit fructum bonū excidetur & in ignem mittetur) Melius ij codices habent, in quibus legitur arborum τῶν δένδρων. Praeterea praesentis temporis uerba sunt non futuri, exciditur & mittitur: siue potius transferendum est, iacitur: & si mißilia uocantur quae iaciuntur, ἐκκόπτεται καὶ εἰς πῦρ βάλλεται. Idem dico de simili loco apud Lucam. Qui autem post me uēturus est,

qui

qui post me uenit) Græce est præsentis temporis: ὁ δὲ ὀπίσω μου ἐρχόμενος. Et uidit spiritum dei descendentem sicut columbam, & uenientem super se.) Et si aliquando pronomen hoc græcum ambiguum, nunc tamen nequaquam uidetur ambiguum: Ideóque non fuisse transferendum, super se, tanquam de Christo dicatur quod uidit spiritum dei descendentem super se: sed super eum, ut de Ioanne intelligatur, cuius gratia aperti sunt cœli, ut uideret spiritum sanctum, quem uidit descendentem non super se, sed super Iesum, id est super eum. Nam Christo semper patent cœli & spiritus sanctus, quod probat illud Ioannis: Et testimonium perhibuit Ioannes dicens: quia uidi spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, & mansit super eum, & ego nesciebam eum: sed qui me misit baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem uideritis spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto. Nam si diceret super se, diceretur græce, ἐφ᾽ αὑτόν, nunc dicitur ἐπ᾽ αὐτόν. Etiam quasi columbam, dicitur elegantius quàm sicut, hoc est, quod descendit spiritus sanctus perinde ac si foret columba, uidelicet in specie columbæ. At descendere sicut columbam, nihil est aliud quàm descendere sicut columba descendit: quemadmodũ solemus dicere, tu ambulas sicut anser. Nunc spiritus sanctus non descendit sicut columba, quia uolarit ut columba, sed

De pronomine reciproca significationis.

Quasi. Sicut.

descendit in specie columbæ. Neq; uero quod dicitur columba putet quisquam fuisse speciem columbæ magis quàm columbi: sed quia hoc nomen apud Græcos epicœnũ est ut aquila, quemadmodũ prius & columba apud nos fuit, de qua re Varro disserit. unde apud Vergilium, Geminæ uenere columbæ, quarum certe una mas erat. Vt hoc loco dixit se pro eum, ita e diuerso eius pro sui apud Paulũ: Quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij eius, οὓς προέγνω, καὶ προώρισε συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ ὑιοῦ αὐτοῦ. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.) Quæ hic, eadem apud Marcum uerba, eadem quoq; in secunda Petri epistola, ac penè eadẽ apud Lucam. Sed nullo in loco legitur græce, mihi, sed forsitan id factũ est necessitate, quanquam poterat aliter transferre, ut sic in psalmo, Holocaustis nõ delectaberis, εὐδοκήσεις. Sed cur omisit bene, quod in græco est, εὐδόκησα.

Columba.

CAPVT IIII.

Non in solo pane uiuit homo.) Græce est futuri, uiuet, ζήσεται. Itidem in Luca. Quoniã angelis suis mandauit de te.) Græce est mandabit. quam culpã librarij arbitror, aut alicuius temerarij correctoris tam hic, quàm in psalmo: nam è psalmo hic locus est sumptus ὅτι τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ ἐντελεῖται περὶ σοῦ, μήποτε, Ne forte offendas ad lapidem pedem tuum) Ego maluissem dicere, nequando, uel

uel ne unquam μήποτε, ut est in Psalmo: Nequãdo dicat inimicus, præualui aduersus eũ, μήποτε. Vade satana) Græce est, abi post me satana: ὕπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ. Et illi soli seruies.) λατρεύσεις, hoc græco uerbo non utuntur nostri, sed nomine quod est latria, uolentes hunc actum soli deo deberi. Is & si frequenter deo exhibetur, non tamen semper. Nã quantum ego sentio, magis ad homines pertinebat. Ideoq; principes græcæ linguæ, quorum autoritate nitimur in uerborum significationibus ita usurpant, ut apud Xenophontem libro tertio in Cyripædia: ἐγὼ μὲν, ἔφη, ὦ κῦρε, κἂν τῆς ψυχῆς πριαίμην ὥστε μήποτε λατρεῦσαι ταύτην. hoc autem est: equidem Cyre ego uel anima redimerem nequãdo ista seruiret. Hæc uiri sunt uerba. tum uxor eadem loquitur alio uerbo, ut appareat inter ipsa uerba latriam & duliam nihil interesse: ὡς τῆς αὐτοῦ ψυχῆς ἂν πρίαιτο, ὥστε μὴ μεδουλεύειν. Et certe cũ priores fuerint autores gentiles quàm fideles, siue Græci siue Latini: nimirũ multo plus obtinent autoritatis, quippe cum eos omnis posteritas, tam fidelium quàm infidelium, habeat autores, & eatenus recte loquatur, quatenus ab illorum usu non discrepat. Nam consulto quidem & de industria uelle ab illis dissentire, nisi uehemens causa coëgerit, insania est: inscientem uero hoc facere inscitia: quanquam sint qui negent theologiam inseruire præceptis artis grammaticæ. At ego dico, illam debere

Latria.

Linguarũ usus seruandus.

seruare etiã cuiuslibet linguæ usum, qua loquitur, nedum literatæ. Nam quid stultius, quàm linguam, qua uteris, uelle corrũpere, & cõmittere ne ab ijs, apud quos loqueris, intelligaris? Nemo enim intelligat eũ, qui proprietatem linguæ non seruat, quam nemo unquam fuit qui non seruaret uolens & prudens, sed per imprudentiam labens. uelut in illo: Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Hierusalem, Hierusalem quæ ædificatur ut ciuitas. pro ædificaris. Nimirũ nõ consultò sic dixit interpres, sed deceptus est participio græco passiuo temporis præsentis, in quo ipse resoluendo per uerbum fuit indiligens, οἰκοδομουμένη. sicut alibi deceptus est articulo græco: Benedicite aquæ omnes quæ super cœlos sunt, pro eo quod est, quæ super cœlos estis, τὰ ὑπεράνω. Et iterum: Benedicite cete & omnia quæ mouentur in aquis. Hic eum articulus cum participio decepit, τὰ κινούμενα. Sed, ut ad latriam redeam, ne solum uidear exempla è gentilibus attulisse, afferam ex ecclesiasticis quoque, in Leuitico: Omne opus seruile non facietis in eis, λατρευτόν. Et iterum: De semine tuo non dabis seruire principi, λατρεύειν. & in Iob: Mendica, λάτρις. Proinde mihi faciendum puto, ut, cum hæc dictio uarie transferatur, ubicunque reperero, non referri ad deum, lectorem eius admoneam. Populus qui ambulabat in tenebris.) Melius habent ij codices, in quibus legitur, sedebat, καθήμενος. Et sedentibus

Iob capi. 2. in Græco exemplari.

dentibus in regione umbræ mortis) Legendum est, & sedentibus in regione & umbra mortis, ἐν χώρᾳ καὶ σκιᾷ θανάτου. Et faciam uos fieri piscatores hominum,) Non est apud Matthæum, fieri, sed apud Marcum: hic enim tantum est, faciam uos piscatores hominum. unà cum Zebedæo patre eorum) Dicendum fuit suo, non eorum. Et abijt opinio eius in totam Syriam) ἀκοὴ, inusitato nomine usus est, opinio, pro eo quod est fama, rumor. ἀκοὴ, quæ dictio, ut ad uocem magis quàm ad elegantiam transferatur, Latine dicitur auditio, siue auditus. ut in Ioanne transfertur ex Esaia: Domine quis credidit auditui nostro? Neq; solum hic transfertur opinio, sed etiam posterius: Audituri estis prælia & opiniones præliorum, πολέμους καὶ ἀκοὰς πολέμων. & in Marco: Cũ autem audieritis bella & opiniones præliorum. Easdem sunt apud Marcũ, quæ apud Matthæum uerba, & tamen prælia & bella indifferenter ponit interpres, cũ potius sit bella: nam unum semper est nomen, ut in plebs & populus λαός. De Iudæa, & de trans Iordanem. Duæ præpositiones cohærẽtes præter Latinorum morem, quasi sibi mutuo subseruiant, in his uerbis cõculcantur: quod & alibi facit, ut in psalmo: Et elegit Dauid seruum suum, & sustulit eũ de gregibus ouium, de post fœtantes accepit eum. Quem locũ in uita Clemẽtis imitatus est, qui dixit: Apparuit fons de sub pede, & c. Sed quantũ mihi est iudicij hoc

ἀκοὴ

Duæ præpositiones cohærẽtes.

in loco, ignorauit interpres posse dici, trans alpes ue nio, quia raro reperitur, quippe de quo nec Priscianus præcipit. Ego omisso exemplo illo trans alpes, afferam exemplum ad aquas pertinens, quoniam de aqua nunc sermo est. Quintilianus de pastu cadauerũ: Ergo ut uidimus salutem publicam trans mare petendam. Cæsar in commentarijs: Plerosq; Belgas ortos esse à Germanis, Rhenumq́; antiquitus traductos.

CAPVT V.

ET accesserunt ad eum discipuli eius.) Sui dicendum fuit, non eius, ut in opere quodam disputauimus. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabũtur.) Ego dixissem, iustitia. De ijs enim opinor deum loqui, qui propter iustitiam esuriunt & sitiunt, cũ addatur, quoniam satiabũtur. Transtulissem quoq; illud in Psalmo per ablatiuum potius quàm per accusatiuũ, & si græce est accusatiuus. Nã suus est illis loquẽdi modus. Et exultabit lingua mea iustitiam tuam. ut sit in altero psalmo, Et iustitia tua exultabunt. quod Græci soleant ponere accusatiuum pro datiuo, qui instar est ablatiui nostri, siue pro genitiuo, cum ea quæ posterius dicam testimonio sunt, tũ illud superius: Habitauit ĩ ciuitate Nazareth. εἰς πόλιν, græce est, in ciuitatẽ. Taceo quod interpres pro urbs ponit ciuitas. Et dixerint omne malum aduersus uos.) Deest uerbum, ut sit, omne malum uerbum, ῥῆμα. Quod si sal euanuerit) Græce est, infatuatus

Accusatiuus pro datiuo apud Græcos.

tus fuerit: ego dixissem, desipuerit. Nam euanescere, est in modum fumi deficientem consumi, & in nihilũ reuerti, μωϱανθῆ. Vt luceat omnibus qui in domo sunt.) Græce est, & lucet, καὶ λάμπει. Amen quippe dico uobis) In multis nos sumus quàm græci locupletiores. Nam pro una illorum causatiua γὰϱ, nos multas habemus, quia, quoniam, enim, nam, nanq;, siquidem, quippe. & quæ in euangelio non sunt: quando, quandoquidem, quatenus, & si qua sunt alia. Proprium aut Latinũ, quod illi græco respondet, est enim Nam ipsorum ὅτι respõdet apud nos quod. Item pro una illorum disertiua δὲ, nos plures habemus, uero, autem, porrò, tamen, at, &, quod semel in euangelio reperitur, nam, ut suo loco ostẽdam. Omnis qui irascitur fratri suo) Melius ij codices, q sine causa habẽt, ut sit: Qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit geennæ ignis. Græce est in geennam ignis, εἰς τὴν γέεννα πυϱός. Et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te.) Huic simile est illud posterius: Adorans & petens aliquid ab eo. Item apud Lucam: Habeo tibi aliquid dicere. & in Marco: Et angariauerunt quempiam prætereuntem Simonem. & in Luca: Et duodecim cum illo, & mulieres aliquæ quæ erant curatæ ab illo à spiritibus immundis. & iterũ: Sunt aliqui hic stantes qui non gustabunt mortẽ. Ego potius quàm aliquid, & aliquæ & aliqui, & quempiam dixissem, quiddam siue quandam rem, & quædã

Euanescere

γὰϱ

ὅτι

δὲ

& quendam. Nam utroq; modo dictio græca transferri potest. De qua differentia disputaui alibi latius, ostendens, per quidam significari hominem certum, per aliquem & quempiam hominem incertum: ideo illud apud Hebræos, Testatus est quodam loco quis, transtulissem quidam, τὶς. Aliud enim est, dicat quis, id est aliquis: nempe quicunque is sit, & dixit mihi quis hanc rem, quia non possum subijcere quicunque is sit: quia nunc ille certus apud me est, proinde quidam dicendum fuit. Audistis quia dictum est antiquis, Non mœchaberis: ego autem uobis dico, quicunque uiderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo.) Mœchari græcum est uerbum οὐ μοιχεύσεις. Concupiscere uero, id est ἐπιθυμῆσαι, non semper in malam accipitur partẽ, ut apud Lucam: Desiderio desideraui hoc pascha mãducare uobiscum, ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα. Cur itaque nunc peccatum est mulierem concupiscere, ueluti ut eam habeas uxorem, quemadmodum fecit Iudas filius Iacob, & Samson, & alij infiniti? etiam si peccatum sit, cur tamen adulterium, cum idem sit mœchari quod adulterare? Nescio an nunc transferre debuerit uxorem siue matronam, quoniam hoc nomen pro fœmina & pro uxore accipitur: ut in epistola ad Corinthios ostẽdam, an mœchari accipiatur pro scortari: siue, ut consueto magis uocabulo utar, fornicari, quod propriæ significationis est habere in fornice

Quidam. Aliquis. Quispiam. Cõcupisco. Mœchari, Fornicare.

fornice meretricem: quoniam qui cum muliere nõ cũ uxore coit, in matrimonium iniurius est, tãquam causa sit ne illa nubat. at si ipse maritus est, quasi in suam uxorẽ adulterium cõmittit, ideoq; paulopost dicitur: Qui dimiserit uxorem excepta causa fornicationis, facit eam moechari, & qui dimissam duxerit adulterat. Nónne haec fornicatio uxoris tuae adulterium est? Ergo sicut fornicari accipitur pro moechari, ita moechari pro fornicari. Moechari uero & adulterare more suo uariauit interpres, cum tamen graece idem sit uerbum μοιχᾶσθαι μοιχᾶται. Expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in geennam. Et si dextera manus tua scãdalizet te, abscinde eam, & proijce abs te: Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in geennã.) Graece est: & non totum corpus mittatur in geennam. Nescioq; quid in mentem uenit interpreti, si hoc uitiũ interpretis est, ita loqui, ut nec Latine dicatur, nec Graeco respondeat. Neque enim memini talem figuram dicendi usquã apud eruditos reperisse. & aliud est expedit, aliud praestat legere quàm scribere. sed forte eum induxit, quia posterius legit bonum pro melius in simillimo huic loco: Bonum tibi est ad uitam ingredi debilem uel claudum, quàm duas manus & duos pedes habentẽ mitti in ignem aeternũ. Et si oculus tuus scãdalizat te, erue eũ & proijce abs te,

bonũ est tibi, unũ oculũ habentẽ in uitã intrare, quàm duos oculos habẽtem mitti in geennã ignis. Sunt forsitan aliqua exempla græca sermonis istiusmodi. Addo etiam aliquorum ueterum Latinorum Græcissantiũ: tamen superior locus nõ proprie translatus est. Sit sermo uester, est est, non non.) Græce non legitur est est, sed aduerbium quo latini ueteres utuntur: ut Terentius: Næ ille haud mecum sentit. Et Cicero: Næ tu homo ineptus es. ναὶ ναὶ, quod proprie transferatur nunc, etiam etiam, ut facit aliquando interpres. ut in illo: Intellexistis hæc omnia? dicunt ei, etiam ναὶ. Nã respondere, ut nũc uulgo solent, sic, barbarum est: qui barbari hunc locum transferrent, sic sic, non non.

Næ.

Sed si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe ei et alterã) græce nõ est præbe, sed uerte, στρέψον. Et quicunq; te angariauerit mille passus, uade cũ eo alia duo.) Quidam codices habent alios duos. Ergo dicendum erit, aut alios duos passus, aut alia duo mille, quorum neutrum recte dicitur. Cuius rei causa est, quod græce legitur unum miliarium, ut probe sequatur, alia duo. Itaq; sic ego transtulissem μίλιον ἕν.

Si enim diligitis eos qui uos diligunt, quam mercedẽ habebitis? nonne publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres uestros tantum, quid amplius facitis? nõne & ethnici hoc faciunt? Estote ergo uos perfecti, sicut & pater uester cœlestis perfectus est.

CAP.

CAPVT VI.

ATtēdite ne iustitiam uestram faciatis coram hominibus ut uideamini ab eis, alioqui mercedem non habebitis apud patrem uestrum qui in coelis est. Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ.) Non est mercedem habebitis legendum, sed habetis ἔχετε, & amicos, non fratres φίλους: neq; hoc faciunt, sed idem, τὸ αὐτό, neq; tantum idem, sed sic, οὕτως, nec iustitiam, sed eleemosynam, ἐλεημοσύνην, ideoq; subiungitur: Cum ergo facis eleemosynā hypocrita.) Nescio cur nō trāsferatur histrio, siue aliud quippiam. Sed nōnunquam interpretem delectat græca uox: ut ethnicus pro gentilis, & thronus pro sedes, & alia multa. Amen dico uobis receperunt mercedem suam) Græce est accipiūt, quod congruit cum illo superiore, habetis mercedē, ἀπέχουσι. Vt honorificentur ab hominibus) δοξασθῶσιν, Idem uerbum hic quod ibi superius, ut glorificent patrem uestrum, δοξάσωσι. Et cū oratis, non eritis sicut hypocritæ.) Singulariter græce dicitur, non pluraliter. & cum oras non eris ὅταν προσεύχῃ, οὐκ ἔσῃ, ut ex sequentibus datur intelligi. Tu autem cum orabis) προσεύχῃ. oras legendum est non orabis. Nam & illud proximū temporis est præsentis, nō futuri. Quid opus sit uobis.) Ad literam græce est, quibus necesse habetis, siue quorum necessitatem habetis, ὧν χρείαν ἔχετε. Panem nostrum su

persubstantialem) Quoniam durum uidebatur uocabulum supersubstantialẽ, quanquã græce est superessentialẽ, ideo fortasse factũ est, ut in oratione dominica, quã secũdũ Matthæũ utimur, simus unũ uocabuliũ mutuati ex Luca, quotidianũ, præsertim ne illud substãtia siue eßẽtia moueret ambiguitatẽ ἐπιούσιον, et hoc quidẽ ratione nititur. Illud aũt qua ratione niti potest, qđ bonã partẽ dominicæ orationis decurtauimus? ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία, καὶ ἡ δύναμις, καὶ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν. id est, Quia tuũ est regnũ & potẽtia & gloria in secula, amẽ. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorũ.) Ego peccata sua dixissem, αὐτῶν. Exterminãt enim facies suas) ἀφανίζουσι, idẽ uerbũ qđ mox, ubi ærugo & tinea demolitur, ἀφανίζει. Et tamẽ diuersum in Psal. Exterminauit eã aper de sylua, ἐλυμήνατο, quasi uastauit & profligauit. At exterminare est extra terminos finesq; expellere. Hic aũt de hypocritis dicitur, quod extenuãt et deformãt facies suas. Amẽ dico uobis, qa receperũt mercedẽ suã.) Superius admonui legendũ esse in præsenti recipiũt, nõ in præterito receperũt, ἀπέχουσι.

Extermino

Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuũ.) Erit & cor, legendũ est, non est, ἔσται. & uester thesaurus non tuus, & cor uestrum non tuum, ὑμῶν. Lucerna corporis tui est oculus tuus.) Neque tui, neque tuus est græce. Habẽtque maiorem quandam in se dignitatem generalis oratio de omni loquens quàm ad unum

unum directa. Idem dico in Luca: Si ergo lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erūt? græce non legitur erunt, sed subauditur. uerum non minus proprie in præsenti, ut cum altero præsenti congruat: ipsæ quoq; elegāter propter repetitionem uerbi additum est. Nam græce sic habet: Si ergo lumen quod in te est tenebræ sunt, tenebræ quantæ, id est, sunt, τὸ σκότος πόσον. Ne soliciti sitis animæ ue stræ quid manducetis, neque corpori uestro quid induamini.) Deest apud nos, & quid bibatis. Sed quia potus utiq; aquæ solicitudinem non requirit, ideo uisum est aliquibus satis esse ut dicatur, ne soliciti sitis animæ uestræ quid manducetis. nec oportere addi, et quid bibatis, cum præsertim sequatur, Nónne anima plus est quàm esca? non facta mentione potus. Verum ego nescio an minus simus soliciti de pane edendo, quàm de uino potando, aut sicera, cæterisque potionibus præter aquam. Et græce non tam esca dicitur quàm alimentum, quod etiam potum comprehendit, τροφῆς. Sed quid attinet disputare? Certe græce legitur, & quid bibatis, καὶ τί πίητε. & posterius dicitur: Nolite ergo soliciti esse, dicentes: quid manducabimus aut quid bibemus? ex quo liquet de potu quoque fieri mentionem. Nónne uos magis pluris estis illis?) Non sunt duo cōparatiui græce, quod sic transferri potest, atque etiam debet: Nónne uos magis differtis ab eis? Ergo melius in Luca: Multis passeribus

Soliciti de potu.

plures estis uos, μᾶλλον διαφέρετε. Quanto magis uos minimæ fidei?) Græce est, nónne multomagis nos paruæ fidei? οὐ πολλῷ μᾶλλον ὑμᾶς ὀλιγόπιστοι. Ideoq; melius postea: Modicæ fidei quare dubitastis? & apud Lucā, pusillæ fidei, ὀλιγόπιστε. Quis autem uestrum cogitans potest adijcere cubitū unum ad mensuram suam, & de uestimentis quid soliciti estis? Idem uerbum est Græce pro cogitans & soliciti sitis, μεριμνῶν, μεριμνᾶτε. Et apud Marcum pro ærumna: ærumnæ huius seculi, μέριμναι: pro quo ego maluissem dicere, solicitudines. Nā ærumna grauius iusto uerbum est, sicut cogitās iusto leuius. Crastinus enim dies solicitus erit sibijpsi.) Recte quidem translatū, sed ad literam sic ego trāstulissem: crastinus enim dies curabit sua ipsius, μεριμνήσει τὰ ἑαυτῆς.

CAPVT VII.

QVid autem uides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ est in oculo tuo nō uides?) græce est, non consideras, κατανοεῖς. Nolite sanctū dare canibus, neq; mittatis margaritas uestras porcis, ne forte conculcent eas pedibus) potius transferrē nequando, quàm, ne forte, μήποτε. Et quoniam interpres per nolite loquitur, quod græce non dicitur, faciendum ei fuit ut diceret, neq; mittere margaritas uestras porcis. Ideo aūt solemus uti impatiuo uerbi nolo, quia raro iungimus aduerbiū uetandi cum imperatiuo, quod græci faciunt, quale nunc foret, ne date sanctum

Noli, imperatiuū sine aduerbio uetandi.

ctum canibus, neq; mittite margaritas uestras porcis. ut intelligant errare se, qui illum locum Ioannis, ut alia multa, Vade & amplius noli peccare, sic exponunt, dominum uetuisse ne uellet peccare mulier, non autem ne peccaret, καὶ μηκέτι ἁμάρτανε. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.) Græce est, exciditur & in ignem mittitur. Hunc locum ideo reor ego aliquos emendare uoluisse, mutantes præsens in futurum: quia mali, quos malis arboribus comparat dominus, non exciduntur nunc, & in ignem mittuntur, sed postea excidentur, & in ignem mittentur. Sed hi non uident dominum per sententias allegorice loqui. quasi diceret: Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, solet ab hominibus excidi, & in ignem mitti. Illud quod sequitur Latinius diceretur, igitur ex fructibus suis cognoscetis eos, ἐκκόπτεται, καὶ εἰς πῦρ βάλλεται. In nomine tuo uirtutes multas fecimus) δυνάμεις. uirtus hic non pro honesto accipitur, quod dicitur ἀρετή, quod nomen nusquam in euangelio reperitur, sed pro potentia, siue pro operibus potentiæ, ut apud Paulum: Virtus uero peccati mors, id est, uis ac potestas. Omnis ergo qui audit uerba mea hæc & facit ea, assimilabitur uiro sapienti.) græce est, aßimilabo eum, sed interpres ueritus est ne in grammaticæ uitium incideret, si diceret omnis & eum, ὁμοιώσω. Sed cur in sequen Virtus.

tibus inquit similis erit potius, quàm assimilabitur. Similis erit uiro stulto, ut est graece ὁμοιωθήσεται, quod itē posterius facit: Cui similē existimabo generationē hãc? cum graece sit, aßimilabo ὁμοιώσω. Hoc ideo notaui, quod interdũ idē uerbũ uarie trãsfert, & diuersa eodē uerbo. Erat enim docēs eos sicut potestatē habēs nō sicut scribae eorũ et pharisaei. ego dixissem, erat enim docēs uelut potestatē habēs, nō sicut scribae eorũ & pharisaei. licet enim sit graece eadē dictio ὡς, tamē carent illi hac copia, quã nos Latini habemus q distinguimus uelut & sicut. ut suo loco disserui.

CAPVT VIII.

Domine si uis potes me mundare) graece est, si uelis, θέλῃς. Secuti sunt eum discipuli eius) Melius discipuli sui.

CAPVT IX.

Rogate dominum messis ut eijciat operarios in messem suam.) Cogor interdum mirari interpretis factum qui nunc ait, eijciat, ἐκβάλῃ, cum superius dicat, neque mittatis margaritas porcis, & non potius, emittat operarios: & neq; proijciatis margaritas porcis, cum idem sit uerbum μὴ δὲ βάλετε. et alibi diffamare in bonam partem accipit: ut hic, Diffamauerunt eum in tota illa terra, διεφήμισαν. & in Marco: At ille cœpit praedicare & diffamare sermonem, διαφημίζειν. Alibi in malam ut apud Lucã: Diffamatus est apud dominum suum. quanquam diuersum

Diffamare

uersum est hic apud graecos uerbum δῆτε βλήθη. Item miror quod nunc latino utitur. Et peior scissura fit, σχίσμα, nunc graecum relinquit: ut apud Ioannē, Et schisma erat inter eos. Nam illud minus miror, quod sacrificium & hostiam pro eodem ponit, ut hic: Misericordiam uolo & non sacrificium θυσίαν. & in Luca, ut darent hostiam θυσίαν, quod aūt παῖς nunc filium, nūc puerum transferat: & quaedam simi lia, suo loco dicentur.

CAPVT X.

IAcobus Alphaei & Thaddaeus) graece est Iacobus Alphaei & Lebbaeus, qui cognominatus est Thad daeus. quod nomen nisi hoc loco legeretur, nō diceret Hieronymus in libris hebraicorum nominum super Matthaeū: Lebbaeus figuratū nomē à corde, quod nos diminutiue corculū possumus appellare, λεββαῖος ὁ ἐπικληθεὶς θαδδαῖος. Lebbaeus. Nolite possidere neq; aurū neq; argentū, neq; pecuniā in zonis uestris.) An non Pecunia. pecunia est aurū & argētū, quod in zona possidetur? Neq; uero graece pecunia dicitur: sed aes χαλκόν. me Aes. lius ergo transfertur in Marco: Nō perā, nō panē, nō in zona aes, χαλκόν. & est pulcher ordo: Nolo uos possidere aurū modo, sed etiam argentum: nec argen tū modo, sed etiā aes. nisi dicimus nō de auro & argen to dictū est quod in zonis possidetur, sed utrunq;. Er go quod in zonis possidetur pecunia erit. uerum tu tius fuit transferre aes, quod etiam pecuniā significat.

tam suum apud græcos, quàm hoc apud nos: quoniam æreus nummus fuit primus & diu solus. Pera & zona græca sunt uerba, penè idem quod uidulum & baltheus, πήρα, ζώνη. Et si quidē fuerit domus digna ueniet pax uestra super eam: sin autem non fuerit digna, pax uestra reuertetur ad uos.) Imperatiui modi est & præteriti temporis, ueniat & reuertatur: non autem indicatiui ac futuri, ut omnes codices habent: ἐλθέτω, ἐπιστραφήτω. Cum autem tradēt uos nolite cogitare quomodo aut quid loquamini.) Non est græce nolite cogitare, neq; enim cogitare uetabātur, sed soliciti & anxij esse, & si interpreti credere uolumus, ærumnosi. Idem enim est uerbum de quo superius disputaui, μὴ μεριμνήσητε. detraxi interpreti, nunc uolo detractionē laude pensare. Nā quod græce dicitur, necabunt eos, ipse nitidius dicere uoluit, Morte eos afficient, θανατώσουσιν. Sicut alijs quibusdam in locis fecit, uti ostendam. Vestri autē & capilli capitis omnes numerati sunt.) græce est pili capitis. Nā cum dixeris capilli, superuacuum est addere capitis, quoniā capillus putatur dictus capitis pilus. Ego præterea, ut græce est, dixissem uestrum. quia nescio quid plus hoc modo significat, quasi dicatur, non modo omnia membra uestra, sed etiā uestri omnes capilli, siue pili capitis, numerati sunt, τρίχες. Quicūq; confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego illū coram patre meo) ἐν ἐμοί, ἐν αὐτῷ. Quantum differat

Pera.

Zona.

Capillus.

ferat per accusatiuum, ut postea in negãdo sit, & per ablatiuum ut nunc sit loqui, doctores græci qui hunc locum exponunt, sunt cõsulendi. Certe male legitur, confitebitur me, & confitebor illum.

CAPVT XI.

RENunciate Ioanni quæ audistis & uidistis) Legendum est in præsenti tempore auditis & uidetis, quod certe multo uberioris est sensus quàm in præterito: ἀκούετε καὶ βλέπετε. Pauperes euangelizantur) quia interpres solet uti hoc uerbo uoce actiua: quidam putant hic quia uocis paßiuæ est accipi in sensum passiuum. Sed actiue accipiendum est, & si uoce deponenti est apud græcos: εὐαγγελίζονται, quale est illud apud Lucam: Annuncio uobis gaudium magnum, εὐαγγελίζομαι. Idem est enim apud interpretem annuncio & euangelizo. Quid existis in desertum uidere? harundinem uento agitatã?) græce est, quæ uẽto agitatur. Sed multa sunt quæ transeo huiusmodi, σαλευόμενον. Ecce qui mollibus uestiuntur in domibus regum sunt.) Quia superius dicitur hominem in mollibus uestitum, nunc mutatum est, cum græce sit: ecce mollia ferentes, siue qui mollia ferunt: ἰδοὺ οἱ τὰ μαλακὰ φοροῦντες. Etiã dico uobis plus quàm prophetam.) Idem uocabulum hoc quod superius: Creditis quia possum facere hoc? dicunt ei utiq;, ναί. De quo etiam memini in illo: Sit sermo uester est est, ναὶ ναί. Cui autem similem exi-

εὐαγγελίζω.

ſtimabo generationem hanc? Similis eſt ſedentibus in foro qui clamantes coæqualibus dicunt: Cecinimus uobis & non ſaltaſtis, lamentauimus & nõ planxiſtis) Ego ſic tranſtuliſſem: Cui aſſimilabo generationem hanc? Similis eſt pueris ſedentibus in foro & compellantibus ſodales ſuos atq; dicentibus: Cecinimus uobis tibijs & non ſaltaſtis, plorauimus & non planxiſtis. Lamẽtauimus enim nõ reperitur, καὶ προσφωνοῦσι τοῖς ἑταίροις αὐτῶν, καὶ λέγουσιν, ηὐλήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ὠρχήσασθε, ἐθρηνήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ἐκόψασθε. Me uere transferre, uel in uerbo illo cecinimus uobis tibijs, teſtimonio eſt ſimilis locus apud Lucam: Cantamus uobis tibijs, ηὐλήσαμεν. Et iuſtificata eſt ſapiẽtia à filijs ſuis) Cur non potius filijs eius, hoc eſt generationis? dixerat enim: Cui autem ſimilem exiſtimabo generationem iſtam? ut de eadem generatione concludat, quod à filijs eius ſit iuſtificata ſapientia. Cum quo congruit aliquanto poſt ſequens: Et ſi ego in Beelzebub eijcio dæmones, filij ueſtri in quo eijciunt? ideo ipſi iudices ueſtri erunt. Idcirco de pronominibus ſuis & eius loquutus ſum diligentius: quia cum à Græcis uix diſtinguantur, tamen niſi diſtinguantur à nobis, reddunt ambiguum ſenſum, prout apud græcos ambiguus eſt, αὐτῆς.

Tum cœpit exprobrare ciuitatibus.) ὀνειδίζειν. idem uerbum quod illic: Cum maledixerint uobis homines, ὀνειδίζωσι. Et tu Capernaum nunquid

usque in coelum exaltaberis, usq; in infernum descendes?) Similitudo literæ, ut opinor decepit interpretem. Græce enim est, & tu Capernaum quæ usque in coelum exaltata es, usque ad infernum descendes, siue potius deduceris, ϗ σὺ καπερναοὺμ ἡ ἕως τοῦ οὐρανοῦ ὑψωθεῖσα ἕως ᾅδου καταβιβασθήσῃ. Quia si in Sodomis factæ fuissent uirtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent ad hanc diem.) Indignum sanè uidetur sermone diuino addere dubitandi aduerbium, quasi nesciat deus, quid futurum sit de Sodomis, si apud eam ciuitatẽ factæ essent istæ uirtutes. quod aduerbium non fuisse addendum non dicam, cum ab alijs tum à Prisciano tradi, præteritum indicatiui apud græcos cum syllaba illa, uel aduerbiali coniunctiua pollere pro ipso coniunctiuo, sed ipsum interpretem citabo testem, qui sine aduerbio dubitandi superiorem particulam loquutus est: Quia si in Tyro & Sidone factæ essent uirtutes quæ factæ sunt in uobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Eodẽ enim modo eadem loca dicuntur: ἐν ὑμῖν πάλαι ἂν ἐν σάκκῳ καὶ σποδῷ μετενόησαν ἐν σοί, ἔμειναν ἂν μέχρι τῆς σήμερον. Quid quod non solum sine aduerbio dubitatiuo trãsfert aliquãdo, sed etiã per affirmatiuũ, ut ad Hebræos. Si illud prius à culpa uacasset, nõ utiq; secũdi locus inquiretur. quale in psalmis: Quoniam si uoluisses, sacrificium dedissem utique, Sed ut forte, ita utiq; superuacuũ est, uerum utiq;

Forte.

nō nocet, forte nocet. Nusquam enim Christus de se, siue de patre per Forte loquutus est, nisi ibi, in aliena tamen persona: Forsitan cum hunc uiderint reuerebuntur. Ideoq; tollamus dubitatiuum uerbum ab illo quoq; loco Ioannis: Si me sciretis, forsitan & patrem meum sciretis. & in psalmis: Si populus meus audisset me, Israël si in uijs meis ambulasset, pro nihilo forsitan humiliassem inimicos eorum. Vides ut tantū in subiunctiuo hic error admittitur, ut iterum in psalmis: Nisi quia lex tua meditatio mea est, tunc forte periissem in humilitate mea. quanquam haud scio an idē interpres fuerit euangeliorum & psalmorū. Certe & inconstantiæ est & infidelis translationis tam uarie differenterq; transferre, nunc affirmando simpliciter. Afferam iterū exempla è psalmis: Et super tribulantes eos misissem manum meā. Nunc uehementius asseuerando: Quod si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utiq;. nunc reuocādo in dubium in eodem præsertim loco, ut ibidem mox: Et si is qui oderat me, super me magna loquutus fuisset, absconderem me forsitan ab eo. Quid tu de eadē re modo utique, modo forsitan dicis? Addam etiam quartum modum transferendi apud interpretem: Si autem sciretis, quid est misericordiam uolo & non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes. I nunc & dic ubiq; bene esse translatum. Confitebor tibi domine pater cœli & terræ, qui abscondisti hæc à sapientibus

Subiunctiuum.

& pru

& prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita pater, quoniam sic placitum est ante te.) Græce est, quia, nõ qui. quia inquã pro quod, ut interpres transferre gaudet. nam librarij hæc culpa est. græce quoq; magis est intelligẽtibus quàm prudentibus, quoniam aliud ibi nomen est. Estote prudentes sicut serpentes: φρόνιμοι. Ita non habet significationem, quam habet sic, sed eam de qua dixi super locũ illum, sit sermo uester est est, ναὶ. etiam Placitum, illa uox est quæ solet trãsferri nunc bona uoluntas, nunc beneplacitum, ut sit omnis sententia: cõfitebor tibi pater, id est, gratias ago tibi. Ita enim Hieronymus exponit hoc uerbũ: quod abscondisti hæc à sapientibus, & intelligentibus, & reuelasti ipsa paruulis. Certe pater quod sic fuit bona uoluntas in conspectu tuo: ὅτι ἀπέκρυψας ταῦτα ἀπὸ σοφῶν καὶ συνετῶν, ναὶ ὦ πατὴρ, ὅτι οὕτως ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθέν σου. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos.) Non significat nunc reficere cibo recreare, ut quidam putant: sed quiete, ἀναπαύσω. Ac ne in illo quidem loco psalmi: Super aquam refectionis educauit me, ἀναπαύσεως. Ita, Sic.

CAPVT XII.

QVis erit ex uobis homo qui habeat ouẽ unã, & si ceciderit hæc sabbatis in foueam, nónne tenebit & leuabit eam? quanto magis melior est homo oue?) Ego sic transtulissem, Quis ex uobis homo

qui habebit ouem uñam, & hæc incidat ſabbatis in foueam, nónne tenebit ſiue capiet eã, & alleuabit? quanto præſtantior eſt homo oue? Siue ut magis ad uerbũ transferam, ut fecit in eunucho Terentius: Stulto intelligens quid intereſt? Sic ego quantum intereſt, ſiue differt homo oue. Nam græce non ſunt duo comparatiua, nec aliter ſe habent uerba quàm ego tranſtuli, ὃς ἕξει πρόβατον ἕν, καὶ ἐὰν ἐμπέσῃ τοῦτο τοῖς σάββασιν εἰς βόθυνον, οὐχὶ κρατήσει αὐτὸ καὶ ἐγερεῖ; πόσῳ οὖν διαφέρει ἄνθρωπος προβάτου;

Intereſt.

Ieſus autem ſciens receſſit inde, & ſequuti ſunt eum multi, & curauit eos omnes, & præcepit eis ne manifeſtum eum facerent) Ideo interpres tranſtulit præcepit, aut alius quiſpiam ita emendandum putauit, quia abſurdum uidebatur ei, quemadmodum græce eſt, increpuit eos ne ſe manifeſtũ facerẽt, ſed melius eſſe, præcepit ne manifeſtum ſe facerent. Atqui nequaquã abſurdum eſt, ſed multo accõmodatius increpabat eos, quod ſe qui fugerat à phariſæis, eum occidere uolentibus ſequerentur: ex hoc quod increpat ſatis præcipiens, ne ſequendo & inueniẽdo eum phariſæis manifeſtum facerẽt. Et idcirco melius eſt transferre, ſeceßit quàm receßit, quia ſecedere longius abire non tãtum abire ſignificat, ut græca uox indicat: ἀνεχώρησεν ἐκεῖθεν, καὶ ἐπετίμησεν αὐτοῖς.

Increpare.

Secedere.

In quo cõplacuit animæ meæ) Ad uerbũ eſt græce, in quo cõplacuit, ſiue beneplacuit anima mea. Sed eandẽ rem uarie ſolet interpres efferre, quanquã magis poſſet trãsferri, in

quẽ ꝗ in quo, sed forte accusatiuus positus est ꝑ ablatiuo, ut nonnunquã nõ græci tantũ solẽt, sed aliquãdo latini, ut Aul. Gellius probat, qui uult illud Ciceronis pro lege Manilia, esse in hostiũ potestatẽ, nõ potestate, εἰς ὃν εὐδόκησεν ἡ ψυχή μου. Tũc oblatus est ei dæmoniũ habẽs cæcus & mutus, & curauit eũ, ita ut loqueretur & uideret) qa subiũgitur, qd' loquutus est homo, maluit interpres trãsferre, siue aliqs alius emẽdare, mutus cũ græce sit surdus: sed oĩs surdus utiq; natura idẽ mutus est, κωφὸς, quãq̃ græce plura sunt uerba, sic enim dicitur, ita ut cæcus & surdus & loqueretur & uideret. siue ita, ut cæcus surdusq; & loquutus sit & uiderit, ὥστε τὸν τυφλὸν καὶ κωφὸν καὶ λαλεῖν καὶ βλέπειν. Viri Niniuitæ surgẽt in iudicio cũ generatione ista & condẽnabũt eã, quia pœnitentiã egerũt in prædicatione Ionæ, & ecce plusq̃ Ionas hic. Regina Austri surget in iudicio cũ generatiõe ista & cõdẽnabit eã, qa uenit à finibus terræ audire sapiẽtiã Solomõis, & ecce plusq̃ Solomõ hic) nõ est græce plusq̃ Ionas & plusq̃ Solomõ, sed plus Iona & plus Solomone, estq; illud plus nõ appositũ, sed suppositũ. Siquidẽ Hic aduerbiũ est nõ pronomẽ, qd' ueteres diphthõgo græca e & i scribere solebãt: queadmodum in nonnullis marmoribus scriptum animaduerti, ideoq; semper est productum. Nam dum pronomen aliquando corripitur, ut apud Verg. unus hic inflexit sensus: καὶ ἰδοὺ πλεῖον ἰωνᾶ ὧδε, καὶ ἰδοὺ πλεῖον σολομῶνος ὧδε.

Accusatiuus pro ablatiuo.

Surdus.

Heic. Hic.

Condẽnare Condemnare autem non est accipiendum tanquam iudicem. Nam accusator quoq; dicitur condemnare reum, quando ad condemnationem perducit, quod etiã dicitur peragere reũ, cuius cũ alibi testimonia sunt, tũ in iure ciuili.

Peragere reũ.

Sic erit generationi huic pessimæ) græce est malæ, πονηρᾷ. Et dabant fructum aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimũ) Ad uerbum sic erat transferendum: Et dabat hoc quidem centum, illud uero sexaginta, aliud uero triginta. Idẽ contingit in Marco: καὶ ἐδίδου καρπόν, ὃ μὲν ἑκατὸν, ὃ δὲ ἑξήκοντα, ὃ δὲ τριάκοντα. Qui habet aures audiendi audiat) Nescio quid insolens audire uidentur aures meæ, cum dicitur aures audiendi: quia nec dicimus oculos uidendi, manus tangendi, palatũ gustandi, nares olfaciendi habeo: sed ad audiendũ, uidendum, tangendum, pro quo gerundio, quod non habẽt, græci, utũtur infinitiuo: ita nos eorũ infinitiuum debemus, cũ opus est, trãsferre per gerundiũ. Vobis datũ est nosse mysteria regni cœlorũ) mysteriũ nonnunquã trãsfert interpres sacramentũ. Ne ignoret interpres nihil aliud esse mysteriũ q̃ sacramẽtũ. Et si re uera non omnino hæc duo idem sunt, de quo disputare nonnihil, alienum est ab hoc opere. Vt adimpleatur in eis prophetia Esaiæ dicentis: Auditu audietis & non intelligetis, & uidentes uidebitis & non uidebitis) Melius in ijs codicibus ubi legitur: & adimpletur eis prophetia Esaiæ dicens. Cætera sic legi debẽt,

Esa. 6.

siue

siue sic transferenda fuerunt, imò sic translata fuisse puto: Auditu audietis & non intelligatis, & cernẽtes cernetis & non uideatis. Siue: Auditu audietis neq; intelligatis, & cernentes cernetis neq; uideatis. Imprecatur enim eis malum. profectò quemadmodũ fit in psalmo: Obscurentur oculi eorum ne uideant, & dorsum eorum semper incurua: ἀκοῇ ἀκούσετε καὶ οὐ μὴ συνῆτε, καὶ βλέποντες βλέψετε καὶ οὐ μὴ ἴδητε. Omnis qui audit uerbum dei & non intelligit, uenit malus & rapit quod seminatum est in corde eius.) Ego, ut apertius loquerer, maluissem ad uerbum transferre sic: Omnis audientis & non intelligentis, siue cuiuscunq; qui audit, siue per ablatiuũ absolutum, omni audiente uerbum dei & non intelligẽte: παντὸς ἀκούοντος, καὶ μὴ συνιέντος. Serui autem dixerunt ei: uis imus & colligimus ea? & ait, nõ, ne forte colligentes zizania eradicetis simul cũ illis triticum) græce est, uis igitur profecti colligamus? hic autem ait: non, nequando colligentes zizania: θέλεις οὖν ἀπελθόντες συλλέξωμεν αὐτά; ὁ δὲ ἔφη: οὔ, μήποτε. Et accesserunt ad eum discipuli eius) sui dicendũ potius fuit, quàm eius. Zizania autẽ sunt filij nequam) durum mihi uidetur transferre nequam substantiue, id est genitiuo casu, τοῦ πονηροῦ. Nam qui legunt putãt nominatiui casus pluralis numeri. Tũc iusti fulgebũt sicut sol in regno patris eorum) nõ semper acribus oculis intuetur interpres, quãdo suus, &

quando eius dicendum, quia semper eodem modo apud græcos dicitur. Nunc autem dicendum erat sui, non eorum, quia reciprocũ est. Simile est regnũ cœlorum sagenæ missæ in mare, & de omni genere pisci um congreganti, quam cum impleta esset educentes, & secus littus sedentes elegerũt bonos in uasa sua, malos autem foras miserũt.) Ita habetur græce: Quam cum impleta fuit, educentes in littus, accedentes elegerunt bona in uasa, mala autem foras miserunt. Sagenam quoq; maluissem dicere uerriculum. Nam sagena græcum est, ut Vlpianus quoq; testatur. Verriculũ uero latinum, à uerrẽdo mari dictum, quod est genus illud retis grande, quod procul in mari iactum lõgissimis funibus à turba piscatorum è littore trahitur. Quod autem dicitur bona & mala, intelliguntur genera piscium, quia dicebatur ex omni genere pisciũ, ἣν, ὅτε ἐπληρώθη ἀναβιβάσαντες ἐπὶ τὸν αἰγιαλὸν, καὶ καθίσαντες συνέλεξαν τὰ καλὰ εἰς ἀγγεῖα, τὰ δὲ σαπρὰ ἔξω ἔβαλον. quanquam græce legitur non piscium, sed adiectum est à Latino aliquo quasi in supplemẽtum: quo magis constat, non legendum bonos & malos: sed, bona & mala. Neq; tamen dissimulauerim recte translatum atq; eleganter, quã cum impleta esset. Sua autem, ut significaui, græce nõ legitur, nec adiectum latine aliquid prodest. Intellexistis hæc omnia? dicunt ei etiam domine. Ait illis) græce est, ipse autem: siue, Iesus autem dixit eis. Illud etiam

CAP. xiij.

Sagena, Verriculũ.

etiã nõ cõiunctio est, sed aduerbiũ. Siquidẽ aduerbiũ est ipsa uox græca, de qua sæpe iã dixi, quæ solet trãs ferri utiq;, & qua ueluti latina quidã sunt usi, ut Terẽ tij & Ciceronis exẽplis ostẽdi. Esse aũt elegãs sic lo qui per etiã, cũ alij, tũ uero Plinius iunior in epistolis ostẽdit, inquiens: Proxime cũ in patria mea fui, uenit ad me salutandũ municipis mei filius prætextatus, stu des inquã? respõdit, etiam. Alibi sine interrogatione. Quanquã orationes & nostri quidã & græci lectita uerũt, superuacuũ tamẽ est recitare quæ dixeris, etiã si eadẽ omnia si eisdẽ omnibus statim recites. Ergo eti am idẽ est quod utiq;: id est aduerbiũ est, ναὶ κύριε, ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς. Similis est patrifamiliâs) patrẽfa miliâs uocari, nõ qui filiũ habeat, sed qui filius nõ est: dominusq; familiâs, id est bonorũ. cũ infinita exẽpla testimonio sunt, & Vlpianus, alijq; iuriscõsulti docẽt. cũ ipsa uox græca quæ ad uerbũ transferretur domi nus domus, οἰκοδεσπότης, hoc dixi, ne q minus docti linguæ aliter acciperẽt. Nónne hic est fabri filius? nõ ne mater eius dicitur Maria, & fratres eius Iacobus et Ioseph?) Ioses legẽdũ est nõ Ioseph, ἰωσῆς. & illud fa bri licet unũ sit græce nomẽ, tamẽ trãsferri poterat fa bri lignarij. Nã hoc ꝓprie τέκτων significat, cui faber latine respõdet, sed nõ adeò apte: sunt enim fabri æra rij, ferrarij, lignarij, & alia multa. & sine appositio ne si dicas, ut pro fabro lignario accipiatur, receptum est. uolui tamẽ, qualis faber Ioseph fuerit, ostendere.

Etiam.

Dominusfamiliâs.

Faber.

CAPVT XIIII.

ET ideo uirtutes opātur) Operātur actiue signi ficat, ut alibi: pater meus operatur & ego operor, ἐνεργοῦσιν. Quia sicut prophetā eū habebāt) ego dixissem, uelut prophetā, hoc est ueluti propheta esset, non autem sicut alium prophetam habebant. de qua elegantia alio in opere disseruimus, qualem græ ci non habent; qui semper dicunt ὡς. Die autem na talis Herodis) græce est, Cum natalitia Herodis agerentur, γενεσίων δὲ ἀγομένων τοῦ ἡρώδου. Da mi hi in disco) Hic discus græcum nomen est, cum instrumētum significat illud, quod in ludendo à uiris robustis iactatur. ut apud Homerum de ludis Achillis. pro uase autem escario nunc aliter dicitur græce, πίνακι, quod uerbum apud Lucam transfertur catinum: Nunc uos pharisæi quod deforis est calicis & catini mundatis, πίνακος, deforis autem & delonge, an latine dicatur, interpres uiderit. Accesserunt ad eum discipuli eius) Dicendum erat discipuli sui, ut econtrario paulopost: Et statim iussit discipulos ascendere in nauiculā, & præire eum trans fretū. non minus belle diceretur, & præire se. Et cū iußisset turbā discūbere super fœnū) Cur magis fœnū q̄ herbā, siue herbas? nā græce pluralis numeri est, χόρτους. cū dicatur superius herba creuisset & fructum fecisset, χόρτος, & in Marco: Vltro enī terra fructificat primā herbā, χόρτον. Manducātium autem numerus fuit quinq; mil

lia

ὡς

Discus.

lia uirorum exceptis mulieribus & paruulis) græce est: qui autem manducarunt fuerunt uiri ferè quinque millia præter fœminas & pueros. οἱ δὲ ἐσθίοντες ἦσαν ἄνδρες ὡσεὶ πεντακισχίλιοι, χωρὶς γυναικῶν καὶ παιδίων. Et statim iußit Iesus discipulos suos ascēdere in nauiculam.) Coēgit est græce, nō iussit, & introire non ascendere, & in nauim nō in nauiculā, ἠνάγκασεν ἐμβῆναι εἰς τὸ πλοῖον. Donec dimitteret turbas: & dimissa turba ascendit in montem solus orare.) Non est accipiendum dimittere, relinquere, sed remittere, & domum ire iubere, atq; ut redire possent operam dare. neq; est græce solus, sed seorsum. nam neq; attinebat dicere quod esset solus, postquàm dictum est quod dimiserat turbas atq; discipulos: ergo seorsum abijt, hoc est in secretum ac semotum locum, ubi nec uideri posset à cernētibus, nec inueniri à quærentibus, qualis locus orantē decet, quod uocabulum postea transfertur secreto: ἕως οὗ ἀπολύσῃ τοὺς ὄχλους. καὶ ἀπολύσας, ἀνέβη εἰς τὸ ὄρος κατ᾽ ἰδίαν. Locus orantis.

CAPVT XV.

Vos autem dicitis, qui dixerint patri uel matrì munus quodcunq; ex me tibi proderit & non honorificabit patrem suum uel matrem suam) græce non legitur uerbum substantiuum Est, ideoq; obscura sententia nec tibi proderit, sed tu, ut sic dicam, commodaris, ut transferri possit, dono quocunq; ex me tu-

commodum capies, & non honorauerit patrē suum uel matrem suam. Siue dono quodcunq; ex me erit, ut substantiuum uerbum sit eiusdem temporis cuius & coniunctiū, δῶρον ὃ ἐὰν δὲ ἐμοῦ ὠφεληθῇς καὶ οὐ μὴ τιμήσῃ. Bene prophetauit Esaias de uobis dicēs: Populus hic labijs me honorificat, cor autem eorum longe est à me) deest apud nos: nam sic est græce, Appropinquat mihi hic populus ore suo. deinde sequitur, & labijs me honorat. optimeq; subsequitur, cor autem longe est à me. græce dicitur longe abest à me, ἐγγίζει μοι ὁ λαὸς οὗτος τῷ στόματι αὐτῶν, καὶ τοῖς χείλεσί με τιμᾷ. ἡ δὲ καρδία αὐτῶν πόῤῥω ἀπέχει ἀπ᾽ ἐμοῦ. Non est bonum sumere panem filiorum & mittere canibus. At illa dixit: etiam domine, nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum) Hoc est etiam illud quod paulo ante dixi, aduerbium esse potius quàm coniunctionem, ναί. Cur autem interpres uariandum nunc uocē græcam putauerit non uideo: nam utrobiq; dicendum fuit aut canes aut catelli: neq; enim græce canes significantur & catelli, sed unum, & puto potius canes κυναρίοις, κυνάρια. Et accesserunt ad eum turbæ multæ habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos, & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos ita, ut turbæ mirarentur, uidentes mutos loquentes, cæcos uidentes, claudos ambulantes: & magnificabant deum Israël) Cum quatuor generū proposuerit

posuerit morbos, cur tria refert fuisse sanata? ergo deest in latino quartum, id est, debiles sanos, κυλλοὺς ὑγιεῖς. Taceo quod surdi dicũtur non muti κωφούς. Et glorificabant potius, quàm magnificabant, ἐδόξασαν. Ne deficiãt in uia) nõ est ausus hic trãsferre interpres, ne forte deficiant, ut appareat dictionem græcam, quam ipse transfert, forsitan, non debere sic trãsferri, sed nequando, μήποτε, non enim reuocabat in dubium dominus illos in uia defecturos, nisi comederent. Vnde nobis in deserto panes tãtos?) græci non habent tot, ideo pro illo dicunt tanti, ut nos in lingua ideotarum, melius igitur posterius, quot cophinos & quot sportas sumpsistis. & apud Lucam, tot annos seruio tibi, τοσαῦτα. Quo magis miror de interprete quod hic dixerit tanti pro tot, ubi elegantius loqui q̃ oportebat affectauit, utens accusatiuo, cum græce sit nominatiuus, ἄρτοι τοσοῦτοι. Idem fecit in Marco, Vides in quantis te accusant, pro in quot. & in Luca, quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus. neq; inficias eo tali genere loquendi nonnullos non modo post euangelium latinum loquutos esse, sed etiam antea, licet parcißime. Et gratias agens fregit) expreßius græce, cum gratias egisset fregit: non enim inter frangendum gratias egit, aut inter actionem gratiarum fregit εὐχαριστήσας ἔκλασε. Tot, Quot.

CAPVT XVI.

ALij Ioannem Baptistam) deest quidem, ut sit. alij quidem, nisi malumus dicere, nõnulli quidem. quia aliud nomẽ est græce, cum sequitur, Alij autem Eliam οἱ μὲν ἰωάννην τὸν βαπτιστὴν, ἄλλοι δὲ ἠλίαν. Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam) Ego dixissem, neq; portæ inferni præualebunt ei, quia nec græce legitur aduersus, nec latine, quantũ scio inuenitur, inferi numeri singularis, nec in plurali in hunc sensum, & græce dicitur planè inferni καὶ πύλαι ἅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς. Idem de illo loco Ionæ dico, de uentre inferi clamaui. & de illo Ezechiæ, dixi in dimidio dierum meorum uadam ad portas inferi. quod si bene sic dicitur, cur nũquam in alijs casibus inuenimus? ergo inferni dicendum est, cum sciamus nunquam apud priscos infernum fuisse nisi adiectiuum.

Infernum.

CAPVT XVII.

ET splenduit facies eius sicut sol, uestimenta aũt eius facta sunt alba sicut nix) græce est splenduit, siue fulsit, quod mihi uidetur maius quiddam esse quàm splenduit aut refulsit: Nam splendere aut fulgere, est splendorẽ ac fulgorem in se habentis: Resplendere uero ac refulgere est aliunde accipientis splendorem atq; fulgorem ἔλαμψε. neq; legẽdum est nix, sed lux ὡς τὸ φῶς. Vestimenta enim angelorum fuere ut nix. quanquam apud Lucam legitur: Ecce duo uiri steterunt

Splendere, Fulgere, resplẽdere.

ſteterunt iuxta illas in ueſte fulgenti, ἐν ἐσθήσεσιν ἀστραπτούσαις, id eſt, in ueſtibus fulgurantibus. Ergo quiddam maius debuit eſſe in ueſtimentis domini, aut certe tantundem, ut idem Lucas dicit, Et ueſtitus eius albus refulgens: licet ſit potius effulgurans. quam uocem uelut inſolentem reformidauit interpres ἐξαστράπτων. Nam Marcus comparauit quidẽ ueſtimenta niui, ſed non fuit niui comparaſſe cõtentus inquiẽs: Et ueſtimenta eius facta ſunt ſplendentia candida nimis uelut nix, qualia fullo ſuper terram nõ poteſt candida facere. Ergo nõ dixiſſet Matthæus, facta ſunt alba ſicut nix, ſed ſicut lux, imò uelut eſſent lux potius quàm alba ſicut lux alba eſt. Quemadmodum ecõtrario apud Marcum dicendum fuit, ſicut nix, hoc eſt, ſicut nix cãdida eſt, nõ uelut nix, id eſt uelut nix eſſent. Aliud eſt habere colorem niuis uideri, & aliud eſſe niuem. Acceßit ad eum homo genibus prouolutus ante eum, & dicens) Quis non putaret dici de genibus Ieſu? ut frequenter legimus aduolutus genibus. at interpres de genibus hominis ſentit, ergo dicere debuit ut alibi, Et genu flexo ante eũ illudebãt. ſiue quod elegantius, & apud doctos uſitatius eſt, genu poſito. ſiue ut ad uerbum trãsferatur, geniculatus. Sic enim trãsferendum docet Sergius ad Iulianum ſcholaſticũ ſcribens: γονυπετῶν, γονυπετήσαντες. Et dicetis mõti huic, tranſi hinc, & tranſibit) tranſi hinc illuc dicendum eſt, ἐντεῦθεν. Hoc autem genus non eijci- Geniculatus.

tur nisi per orationem & ieiunium) græce est, procedit siue exit, siue egreditur, nō eijcitur, ἐκπορεύεται, hoc uerbum est illud apud Ioannē: Spiritus ueritatis qui à patre procedit, ἐκπορεύεται.

CAPVT XVIII.

ET efficiamini sicut paruuli) mallē dicere uelut, siue tanq̃ paruuli, hoc est, perinde ac si essetis paruuli, quod in illo sit apertius. Quicunq; se humiliauerit sicut paruulus iste) iste paruulus nō se humiliat, sed humilis est, igitur dicendū est, uelut paruulus iste, hoc est tanquam paruulus iste esset. Et demergatur in profundum maris) ita est græce ad literam, & demergatur in pelago maris, hoc est, ut sentio, in alto mari, ἐν τῷ πελάγει τῆς θαλάσσης. Bonum est tibi cum uno oculo in uitam intrare.) Cum uno oculo tria uerba sunt, ac minus significantia quàm unum græcum μονόφθαλμον, quia sic dicitur cum uno oculo, ut cum uno socio. at græca uox significat, unum haberi oculum, quod possit transferri unoculū, quo uocabulo quidam magni utūtur, sed usitatius est dicere luscum. Melius ergo apud Marcum: Bonum est tibi luscum intrare in regnum dei. Monoculus an usquam legerim non memini, unoculum Varro antiquitus etiam coclitem dictum esse demonstrat. Oblatus est ei unus qui debebat decem millia talenta) si transtulisset ad uerbum interpres sic: Vnus debitorum decem millium talentorum, non in grammaticā peccasset.

Vnoculus.

Luscus.

Cocles.

peccasset. Cuius peccati causa est, quod apud græcos millia adiectiuum est ut mille, at apud nos substantiuum, ideoq; dicendum, decem millia talentorum, quia substantiua inter se tanquam duo mares aut fœminæ coniugium non efficiunt: quemadmodum nec duo adiectiua sine substantiuo, μυρίων ταλάντων. Procidens autem ille seruus orabat eum dicens) adorabat legendum est, & cadens potius quàm procidens, πεσὼν προσεκύνει. de cõseruo enim dicitur quod orabat siue rogabat, παρεκάλει. Nisi remiseritis unusquisq; fratri suo de cordibus uestris .) Deest delicta eorum: ita enim finit Christi responsio aduersus Petrum, qui interrogauerat: Domine quoties peccauerit in me frater meus dimittam ei? usq; septies? παραπτώματα αὐτῶν.

Millia.

CAPVT XIX.

Dicũt ei discipuli eius) Iã desij notare, nõ eius dicendũ fuisse, sed sui, ut paulò ante. Et procidens conseruus eius rogabat eum, ego dixissem suus. Etiam illud: Corripe eum inter te & ipsum, dixissem inter te & se. Magister bone, quid boni faciam ut habeam uitam æternã? qui dixit ei: quid me interrogas de bono? nemo bonus nisi unus deus) græce sic habetur, quid me dicis bonum? nullus bonus, quod sequitur expreßius dicitur græce, quasi sic diceretur, nisi unus qui est deus. τί με λέγεις ἀγαθόν, οὐδεὶς ἀγαθὸς εἰ μὴ εἷς ὁ θεός. Dicit ei adolescens,

omnia hæc custodiui à iuuentute mea) pleriq; codices non habēt à iuuētute mea. Reor, quia absurdū esse ui debatur adolescentē dicere se custodisse mādata à sua iuuentute, quia senex esset qui necdum sit iuuenis. hoc partim culpa interpretis contigit, qui idem nomē ua rie transfert, partim ex nostro genere loquendi. sic e-nim adolescens ait se custodisse mandata ab adolescen tia. ac si dixisset, à prima uel ab ineunte adolescentia. Siue iuuenis à iuuentute sua, hoc est ab initio iuuētu tis νεανίσκος, ἐκ νεότητος.

Ab adolescentia.

CAPVT XX.

Cvm sero autem esset factum) Sero nominatiui casus nusquam quod sciam inueni, sed apud Liuium: Serum erat diei. Qui portauimus pondus diei & æstus) non æstus legendum est, sed æstum, τὸν καύσωνα. Aut nō licet mihi quod uolo facere? an oculus tuus nequā est, quia ego bonus sum?) uereor ne similitudo literarum deceperit interpretem, nisi alia de causa scriptura deprauata est, imò etiam decurtata. Nā multo melior fit sentētia, si ita trāsferatur, An non licet mihi facere quod uolo in rebus meis, si oculus tuus malus est, quia ego bonus sum? similitudo literarum est græce inter si & an, siue aut, ἢ οὐκ ἔξεστί μοι ποιῆσαι ὃ θέλω ἐν τοῖς ἐμοῖς εἰ ὁ ὀφθαλμός σου πονηρός ἐστιν, ὅτι ἐγὼ ἀγαθός εἰμι. Et assumpsit duodecim discipulos suos secreto, & ait illis:) desunt duo uerba, sic enim græce legitur, secreto in uia,

ἐν τῇ

ῷ τῇ ὁδῷ. Poteſtis bibere calicem, quem ego bibi turus ſum? dicunt ei: poſſumus. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis, ſedere autem ad dexteram meã) Non ſolum in Marco, ſed etiã hic legitur, aut baptiſmate quo ego baptizor baptizari, ἢ τὸ βάπτισμα ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι βαπτισθῆναι, Et baptiſmate quo ego baptizor baptizabimini, καὶ βάπτισμα ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι βαπτισθήσεσθε. Scitis quia principes gentiũ dominãtur eorũ) earũ dicẽdum fuit. Sed quia græce gens neutri generis eſt, genitiuus eorũ generis omnis, ideo interpres nõ animaduertit transferẽdũ fuiſſe genere fœmineo τῶν ἐθνῶν κατακυριεύουσιν αὐτῶν. ſicut fecit in epiſtola Pauli prima ad Corinth: Maior horũ eſt charitas, cũ dicere deberet harũ, τούτων. Et qui maiores ſunt, poteſtatẽ exercẽt in eos, nõ ita erit inter uos: ſed quicũq; uoluerit inter eos fieri maior, ſit ueſter miniſter) græce eſt magni & magnus, nõ maiores & maior, μεγάλοι, μέγας.

CAPVT XXI.

ET uidens fici arborem unam ſecus uiam, uenit ad eam, & ait illi: nunquam fructus ex te naſcetur in ſempiternum. & areſacta eſt cõtinuo ficulnea) Melius in Marco dicitur, Cumq; uidiſſet ficum à longe habentẽ folia. Nam arborẽ fici nec græce legitur, ſed ficum, neq; latine dicitur. & ficulnea adiectiuum eſt non ſubſtantiuum, diciturq; ficulnus ficulna ficulnum, hoc eſt de hac arbore, ſiue de hoc ligno factus fic

Ficus.

Ficulnus ficulna, um.

cta uel factũ. unde Horatius: Olim truncus erã ficulnus, inutile lignũ. Quod hic ait in sempiternũ, in Marco ait in æternũ. alibi in seculũ, quod semper græci dicunt in æuũ, si ita transferendum est αἰῶν. ergo hæc tria pro eodẽ accipiuntur, quanquã seculũ centũ annorũ spaciũ cõplectitur. Aeternũ aũt Varro ait prius fuisse æuiternũ. Sempiternũ uidetur quiddã addere: nam æternũ dici, quoad uita hominis alicuius duret, infinita sunt exempla apud ueteres. sed nunc pro infinito tempore accipimus, in quo utendo laborat interpres, siue hic idẽ, siue quis alius fuit in psalmis, dicẽs: Statuit ea in æternũ & in seculũ seculi. Cur nõ dixit, statuit ea in seculũ, sicut alibi dicit: dominus regnauit in æternũ & ultra? quid est ultra æternũ? duo quoque alij psalmi cũ idẽ principiũ habeant græce, apud nos per seculũ & æternũ distinguũtur, centesimus sextus decimus: Confitemini domino quoniã bonus, quoniã in seculũ misericordia eius. & 135. Confitemini domino quoniã bonus, quoniam in seculũ misericordia eius. ὅτι εἰς τὸν αἰῶνα. Si aũt dixerimus, ex hominibus, timemus plebẽ, omnes enim habebant Ioannẽ sicut prophetã) Habent legendũ est, nõ enim euangelistæ sermo est de præterito, sed cogitatio pontificũ & sermonũ de præsenti, qui locus ab ijs corruptus est, q uoluerũt hunc cũ illo cõgruere, qui paulopost seqtur. Et quærẽtes eũ tenere, timuerunt turbas, quia sicut prophetã eũ habebant) Hic sunt uerba euangelistæ, ideoq;

Seculum, Aeuiternũ, Sempiternum.

ideoq; græce dicitur εἶχον, illud superius ἔχουσι. In utroq; tamen dixissem uelut, uel tanquã, non, sicut, ὡς. Accedẽs aũt ad alterũ dixit similiter. At ille respondens ait: eo domine, & non iuit) quia sequitur & non iuit, mutauerunt temerarij corruptores, ego in eo, non intelligentes non satisfacere hanc responsionẽ filij iussioni patris quæ fuit: fili uade hodie operare in uinea mea. quia nec filius prior respondit non eo, sed nolo, id est ire & operari. Ita cum hic respondet, ego domine, perinde est ac si dixisset, obtẽperabo tibi domine. Sed quid argumentor cum ueritas græca sic habeat, ἐγὼ κύριε. Et agricolæ apprehensis seruis eius alium cæciderũt, alium occiderunt, alium uero lapidauerunt) Cur in tertio loco positum est uero, & in primo non est positum quidem, & in secundo autem, ut græce est? puto quia uidebatur absurdũ interpreti in eiusdẽ uocabuli geminatione ponere quidẽ & aũt, atqui græce non est nomen alius, sed articulus, qui sic transferri solet, hũc quidẽ cæciderũt, aliũ aũt occiderunt, aliũ uero lapidauerunt, ὃν μὲν ἔδειραν, ὃν δὲ ἀπέκτειναν ὃν δὲ ἐλιθοβόλησαν. Auferetur à uobis regnum dei & dabitur genti facienti fructus eius) Est apud græcam ueritatem eius fœmininum ut regnum, ubi gens est neutrum, & deus masculinum: ergo eius ad regnum referri debet αὐτῆς.

Eo pro ego

Quidem. Autem. Vero.

CAPVT XXII.

ET impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium) quem caſum inuenit interpres græce, eundem tranſtulit: quia nos dicimus plenus uini & uino. Sed uix dicas impletus uini. ita nunc nuptiæ ſunt impletæ diſcũbentium. Idem fecit apud Ioannem: Et impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum. quod ſi haberent græci ablatiuum, dicerent potius, diſcumbẽtibus ſunt impletæ. &, impleuerunt cophinos fragmẽtis. Nõ enim reſpicis perſonam hominum) in perſonam legẽdum eſt, εἰς πρόσωπον, ut fit apud Marcum: nõ enim uides in faciẽ hominis, εἰς τὸ πρόσωπον. nam græce unum atq; idẽ uocabulum eſt facies & perſona, neque multum ſecus latine. Diliges proximum tuum ſicut teipſum) mallem dicere, ut eſt apud Marcum, diliges proximum tuum tanquam teipſum. Siue ut alibi legitur: Diliges proximum tuum uelut teipſum. Nã diligere alterum tanquam ſe, ſiue uelut ſe, eſt facere unum hominem ex multis. Vt diligo te tanquam me, idem eſt quod, diligo te, ac ſi ambo unũ eſſemus. Diligere alterum ſicut ſe, nõ eſt ſe facere alterum atq; eundem, ſed ſibi ſimilem.

Plenus. Impletus.

Tanquam, Sicut.

CAPVT XXIII.

QVæcunq; dixerint uobis, ſeruate & facite) Puto ſimilitudo ſcripturæ fefellit librariũ ut unã omitteret dictionẽ: nã græce legitur, quæcũq; dixerint uobis ſeruare, ſeruate: ſiue, quæcunq; dixerint uobis ut

ut seruetis, εἴπωσιν ὑμῖν τηρεῖν, τηρεῖτε. Et uocari ab hominibus rabbi.) deest geminatio: nam græce bis legitur rabbi, ῥαββεὶ ῥαββεί. unus est enim magister uester, omnes autem uos fratres estis) deest unum uocabulum latine, & quidem præcipuum. nam sic legitur græce, unus est enim magister uester Christus, siue qui est Christus, εἷς γάρ ἐστιν ὑμῶν ὁ καθηγητὴς ὁ χριστός. quemadmodum iterum dicitur paulopost: Qui comeditis domos uiduarum, orationem longam orãtes, προφάσει μακρὰ προσευχόμενοι. Melius apud Marcum eadem uerba transferuntur: Sub obtentu longæ orationis. & apud Lucam: Simulantes orationem longã, προφάσει μακρὰ προσεύχονται. Facitis enim filium geennæ duplo quàm uos) Duplo uidetur postulare cõparatiuum, ut diceretur duplo maiorem. nam græce comparatiuum est, quod esset ad uerbum dupliorẽ. quod si dixisset, facitis eum filium geennæ duplum quàm uos, non peccasset, διπλότερον ὑμῶν. Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui mũdatis quod deforis est calicis & parapsidis, intus autem pleni estis rapina & immũditia) Melius in ijs codicibus ubi sunt legitur. Tamẽ ad uerbũ sic, et quidẽ melius trãsfertur, intus aũt plena sunt rapina & iniustitia: sed de rebus iniustitia paratis, neque rapina, sed è potu & cibo & rapina partis. Hũc sensum quidã nõ intelligẽtes, iniustitia mutauerũt immũditia, ἔσωθεν δὲ γέμουσιν ἐξ ἁρπαγῆς καὶ ἀδι

Duplo.

κίας. deforis aũt, ut paulopost, à foris, nescio cur dicat interpres, cũ non dicat etiã ab intus. Sic & uos à foris quidem paretis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate) Quid opus erat à foris & abintus, cũ essent alia meliora, foris & intus, extrinsecus & intrinsecus? sed multa huiusmodi è puro græco turbidè traducuntur, ἔξωθεν, ἔσωθεν. Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine prophetarum) non fuissemus mallẽ ego transferre εἰ ἤμεθα, οὐκ ἂν ἤμεθα. Genimina uiperarũ) idẽ nomẽ græce est, quod in illo, progenies uiperarum, γεννήματα. Ecce relinquetur domus uestra deserta, dico enim uobis non me uidebitis amodo, donec dicatis: Benedictus qui uenit in nomine domini.) Relinquitur legendum est, non relinquetur, quod declarant illa, quod dicitur: ecce id est nunc, & dico enim uobis, quod me non uidebitis. & ègressus est illinc, ἀφίεται.

CAPVT XXIIII.

ET egressus Iesus de templo ibat, & accesserũt discipuli eius, ut ostenderent ei ædificationes tẽpli. ipse autem respondens dixit illis: Videtis hæc omnia? Amen dico uobis non relinquetur hic lapis super lapidem) non est græce Respondens. atq; ut hoc superuacuum est apud nos, ita illud deest. nam ita legendum est: Non, siue nónne, uidetis hæc omnia? ideo que nõ sequitur responsio discipulorũ, quia per negationem

tionē interrogatū est. at si ita interrogatū fuisset, uidetis hæc omnia? certe respōdissent. nunc aūt responderе non oportuit, οὐ βλέπετε. Accesserunt ad eum discipuli secreto) recte trāslatum, tamen si cui magis placeret, seorsum quàm secreto, sciat non minus potuisse transferri seorsum, κατ᾽ ἰδίαν. Et qui in tecto non descendat tollere aliquid de domo sua) ego sic transferrem, qui super tectum est, non descendat ad tollenda ea quæ sunt è domo sua: nam græce non est copula. et sicut superius dicebatur, qui in Iudæa sunt, ita nunc dicēdum est, qui est in tecto, siue potius super tectum. nam græce est Super cum genitiuo, non cum datiuo, & articulus pluralis non potest transferri in aliquid quod est singulare, ὁ ἐπὶ τοῦ δώματος, μὴ καταβαινέτω ἆραι τὰ ἐκ τῆς οἰκίας αὐτοῦ. Et qui in agro non reuertatur tollere tunicam suam) græce est, non reuertatur rursus tollere, siue ad tollendum uestimenta sua, ὀπίσω ἆραι τὰ ἱμάτια αὐτοῦ: nam interpres non putauit illud græcum ὀπίσω transferendum per nostrum retro cum reuertatur, hoc est, retro uertatur. sed elegantes solent dicere, redeo rursus, pro redeo retro, ut apud Vergilium: Rursus & incipiant in corpora tarda reuerti. Qui sermo est apud scribentes quoq; prosa oratione usitatus. Væ prægnantibus) Ego maluissem dicere lactātibus, quia græca uox id significat. & nutriri ad omnes pertinet non solū ad infantulos qui lactantur. prægnan-

Articulus pluralis.

Redeo rursus.

Retro.

Nutriri.

Praegnans. tibus aūt melius translatū est, quàm si ad uerbū trāslatum fuisset, in utero habentibus, οὐαὶ δὲ ἐν γαστρὶ ἐχούσαις. Cū uirtute multa & maiestate, & mittet angelos suos cum tuba & uoce magna, & congregabunt electos eius à quatuor uentis à summis cœlorum usq; ad terminos eorū. Ab arbore autem fici discite parabolam) græce sic habet: Cum uirtute & maiestate multa, cum potentia & gloria multa. Et mittet angelos suos cum tuba magnæ uocis. nam quid attinet dicere angelos mitti, qui habeāt magnam uocē, si utūtur tuba? & cōgregabūt electos eius à quatuor uentis, à uerticibus cœlorū usq; ad uertices eorū, siue ad extremitates, siue à terminis ad terminos. Idem enim est græce nomen. nam à summis pro à summitatibus nusquam, quod meminerim, legi. & sic dicitur, à

A summis. summis cœlorū, ut à primis cœlorū, hoc est primis cœlis cœlorū. At cœlorū unū est primū & summū, non plura. Nec græce est, ab arbore fici, sed à fico. μετὰ δυνάμεως καὶ δόξης πολλῆς, καὶ ἀποστελεῖ τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ μετὰ σάλπιγγος φωνῆς μεγάλης καὶ ἐπισυνάξουσι τοὺς ἐκλεκτοὺς αὐτοῦ ἐκ τῶν τεσσάρων ἀνέμων ἀπ᾽ ἄκρων οὐρανῶν ἕως ἄκρων αὐτῶν, ἀπὸ δὲ τῆς συκῆς. De die autē illa & hora nemo scit, neq; angeli cœlorū, neq; filius, nisi pater solus) melius ij codices qui non habent, neq; filius. In Marco enim legitur, neq; filius. Hic autem dicitur, de die autem illo & hora nullus nouit, ne angeli quidem cœlorum

coelorum, nisi pater solus. οὐδεὶς οἶδεν, οὐδὲ οἱ ἄγγελοι τῶν οὐρανῶν εἰ μὴ ὁ πατήρ μου μόνος.

Tunc duo erunt in agro, unus assumetur & unus relinquetur: duae molentes in mola, una assumetur & una relinquetur.) graece est non in futuro, sed in praesenti, assumitur & relinquitur, παραλαμβάνεται καὶ ἀφίεται. Quod quidam ad suum sensum uerba retorquentes, ita emendare ausi sunt. At apud me ne scio quid praestãtius significatur per praesens. Illud autẽ scitote, quoniã si sciret paterfamiliâs qua hora fur uẽturus esset, uigilaret utiq;.) Quia dicitur nescitis qua hora dominus uester uẽturus est. & iterum, quia nescitis qua hora filius hominis uenturus est. ideo aut translatum est, aut emẽdatum Hora, cum graece dicatur, qua custodia, φυλακῇ. Sed non fuit causa cur mutaretur custodia in hora. Nam custodia tantum noctis est, cum fures ueniunt, cumq; homines dormiunt. id quod dominus significare uoluit, quod nobis dormiẽtibus & tẽpore nocturno, quae est obscuritas sensuũ, fures ueniunt ad domum suffodiendam. Quanquam ego sic transtulissem. Illud autẽ scitote, quod si scisset paterfamiliâs, qua custodia fur ueniat, uigilasset, nec sinisset perfodi domum suam. ἐκεῖνο δὲ γινώσκετε ὅτι εἰ ᾔδει ὁ οἰκοδεσπότης, ποίᾳ φυλακῇ ὁ κλέπτης ἔρχεται, ἐγρηγόρησεν ἂν καὶ οὐκ ἂν εἴασε. Custodia

Quis putas est fidelis seruus & prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam?) graece nõ

dicitur putas, proinde ego maluiſſem dicere, quiſnam τίς ἄρα. conſtituit tẽporis præteriti eſt nõ præſentis κατέστησεν: familiam de ſeruis accipi debere, cum illud quod dicitur dominus, tum uox græca θεραπείας.

Melius trãsfertur hoc loco dominus ſuus, quàm ſtatim poſt, Quem cum inuenerit dominus eius. Nam interpres inter latinam proprietatem & græcam ambiguitatem uacillat. Super omnia bona ſua conſtituet eum) & ſi recte translatum eſt, tamen ſciamus græce non dici bona, ſed facultates ſiue ſubſtantiam, ἐπὶ τοῖς ὑπάρχουσιν αὐτῶ. Veniet dominus ſerui illius in die qua non ſperat) græce eſt, in die qua non expectat, προσδοκᾶ.

CAPVT XXV.

NE forte non ſufficiat nobis & uobis) ego dixiſſem (propter quam reddidi ſuperius cauſam) ne quando non ſufficiat. Affirmarunt enim uirgines prudentes fore tempus, quo utriſq; non ſufficeret oleum, non autem reuocarunt in dubium. Nouiſſime autem ueniunt & reliquæ uirgines) nouiſsime quod ſuperlatiuũ eſt, ad multarum partium res pertinet. At hic duæ ſunt partes, prudentium uirginum atq; ſtultarum, ergo non habet locum hic ſuperlatiuũ, & ita teſtatur ueritas græca, ὕστερον, id eſt poſterius ſiue poſtea. Et tradidit bona ſua, poſt multũ uero temporis uenit dominus ſeruorum illorum & poſuit rationem cum eis.) Venit temporis eſt præſentis, &

tis, & eiusdem temporis debet esse alterum uerbum, quod non tam ponit est transferendum, quàm cōfert, ἔρχεται, καὶ συνάγει. Ecce alia quinq; superlucratus sum. Ait illi dominus: euge serue bone & fidelis) non est græce superlucratus, sed lucratus, ἐκέρδησα, sed hoc minus, illud uero maius, quod nō dicitur græce euge, nam græca uox est euge, qua nonnulli nostrorum utuntur, ut Plautus & Persius. quod plerunque uel ironice uel aſsētatorie, siue adulatorie usurpatur, interdū etiam in significatione gaudij, ut in psalmis. At nunc nihil horum dominus facit, sed seuere laudat seruum suum, dicens eum bene fecisse, εὖ, quod potest transferri, bene uel probe. Vnde autem euge pro eu surrepserit nescio: idem dico & simili loco apud Lucam, illud omitto quod frequenter notaui, dicendum fuisse, ait illi dominus suus. Quandiu fecistis uni de his fratribus meis minimis) ἐλαχίστων. Paulò post: Quandiu nō fecistis uni de minoribus his, ἐλαχίστων, interpres uiderit, cur eandem uocem nunc per superlatiuū, ut græce est, nunc per comparatiuū transfert.

Euge,

Eu.

CAPVT XXII.

Scitis quia post biduum pascha fiet, & filius hominis tradetur ut crucifigatur) græce est per tēpus præsens: Scitis quod post biduum pascha fit, & filius hominis traditur ad crucifigēdū, γίνεται, καὶ ὁ ὑιὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδίδοται εἰς τὸ σαυρωθῆναι. Dicebant autem, non in die festo, ne forte tumultus

fieret in populo) Ipsa ratio postulat, ut illi dicerent inter se, ne fiat tumultus, non autem, tanquam alio de illis loquente ne fieret. & ita legitur græce, etiam si ne illo forte sic: dicebant autem, ne in die festo, ne tumultus fiat in populo, μὴ ἐν τῇ ἑορτῇ ἵνα μὴ θόρυβος γένηται ἐν τῷ λαῷ. Vt quid perditio hæc?) eadem sunt in Marco uerba, quod aduerbium ita compositum non memini, ubi apud eruditos inuenerim, quod apud græcos nunc non legitur, sed in quid, siue ad quid, εἰς τί.

ut quid pro in quid, ad quid.

Quid molesti estis mulieri?) uerba græca propriè & eleganter, & ad eruditorum consuetudinem transferuntur, quid negocium exhibetis mulieri? hoc est, quid mulierem accusatis. ut in opere de elegantia linguæ latinæ disseruimus. Nam negocium pro labore, siue molestia accipitur: ut res est magni negocij. τί κόπους παρέχετε τῇ γυναικί. Eadē sunt apud Marcū uerba.

Negocium.

Nā semper pauperes habebitis uobiscū, me aūt nō semper habebitis) quidā codices habent, Nam semper pauperes habetis. utrobiq; tamen præsens est tempus, ἐμὲ δὲ οὐ πάντοτε ἔχετε. Idem dico & simili loco apud Marcum & Ioannem. Et quod hoc fecit in memoriam eius.) Eius græce generis est fœminini. ergo quò refertur? certe ad illud pronomen hæc. Dicēdum igitur fuit, in memoriā suam. quod autem relatiuum est, καὶ ὃ ἐποίησεν αὕτη εἰς μνημόσυνον αὐτῆς. Tūc abijt unus de duodecim, qui dicitur Iudas Scarioth, ad principes sacerdotū,

Iſcariotes.

dotum, & ait illis) Iſcariotes legendum, eſt non Scarioth, ἰσκαριώτης. Sed cur nunc dicitur in præſenti, qui dicitur Iudas: ſuperius autem, qui dicebatur Caiphas, ὁ λεγόμενος, cum præſertim iam mortuus eſſet Iudas? Eſt autem participium præſentis, quod etiam ad imperfectum reſpicit, & idcirco melius de mortuo, qui dicebatur: at de Chriſto, & ſi mortuo, qui dicitur Chriſtus, & ſi aliquando mortuus, tamen nunc uiuit, & ſic nominatur, ὁ λεγόμενος. Neq; in græco eſt, & ait illis, abeſt enim pronomen. Sic enim ad uerbum transfertur, tunc profectus unus è duodecim qui dicebatur Iudas Iſcariotes, ad pontifices ait: τότε πορευθεὶς. εἶπε, τί θέλετε. Prima autem die azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum dicentes: ubi uis paremus tibi comedere paſcha?) græce dicitur, dicentes ei. nec dicitur, die, ſed tantum prima. quemadmodum poſterius, quæ luceſcit in prima ſabbati, τῇ δὲ πρώτῃ τῶν ἀζύμων. Qui intingit mecum manum in parapſide) idem nomen hic quod in Marco, qui intingit mecum in catino. ergo melius in Marco, nam ſi foret in parapſide, ſic in græco diceretur, nunc dicitur ἐν τῷ τρυβλίῳ. Væ autem homini illi per quē filius hominis tradetur) præſentis debet eſſe non futuri temporis: iam enim tradebat Iudas dominum, cum animum tradendi habebat, & cum pōtificibus de tradendo iam loquutus erat, παραδίδοται. In uillam quæ dicitur Gethſemane) Marcus habet in prædium.

Præteritū imperfectū

Parapſis.

quorum neutrum ego posuissem. Nã uilla est domus
Villa. rustica, & si nonnulli dicti sunt habuisse uillã urbanã.
Præterea uilla & prædiũ pleruq; referũtur ad domi
nũ: ut uilla mea uel tua, prædiũ meũ, prædiũ tuũ. At
græcũ nomẽ significat locũ siue regionẽ, χωρίον. nec
Iesus in uillã proprie dicitur uenisse. Sic nõ potui-
stis una hora uigilare mecũ) Græci faciunt interroga
tionem in illo sic, οὕτως, ideo ipse transtulissem, ut
usitatius est, siccine nõ potuistis? Dormite iã & re
quiescite) quomodo nũc dominus iubet dormire disci
pulos ac requiescere quos paulò ante reprehenderat
quod dormirẽt, et statim subijciat, surgite eamus. hanc
ego quæstionẽ, quia huius propositi nõ est, excutere
Ambiguitas imperatiui & indicatiui. nõ debeo, sed admonere, esse ambiguum an imperati
ui modi sit, an indicatiui, dormitis iam & requiescitis
quasi exprobraret quod tandiu & illo tempore dor-
mirent & requiescerent, καθεύδετε τὸ λοιπὸν καὶ ἀ-
ναπαύεσθε. Idem dico apud Marcũ. Ecce appro-
pinquauit hora, & filius hominis tradetur in manus
peccatorum. Surgite eamus, appropinquauit qui me
tradet) Traditur legendũ est, & tradit: nõ aũt in futu
ro, tradetur & tradet παραδίδοται, ὁ παραδιδούς.
Missi à principibus sacerdotũ) nõ est græce missi,
quod etiã barbare adiungitur. Nam sic dicitur, & cũ
eo turba cũ gladijs & fustibus missi, cũ fuisset dicendũ
missa. Amice ad quid uenisti?) græce est, ad quid a-
des, ἐφ' ὃ πάρει, siue ad quid aduenis? An putas quia
ego

ego non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quàm duodecim legiones angelorũ?) illa particula modo, de suo in aliũ locũ mutata est, sic enim legitur græce, an putas quia non possum modo rogare patrem meũ, δύναμαι ἄρτι. Hoc aũt totũ factũ est ut implerentur scripturæ prophetarũ) legendũ est ut impleantur: sunt enim uerba Christi nõ historiã cõponentis, ut in Marco, nã eadẽ sunt uerba græce, ἵνα πληρωθῶσιν. Quia sic oportet fieri) oportebat legendum est, ἔδει. Vt eum morti traderent, & non inuenerunt, cum multi falsi testes accessissent) Recte quidem translatum, tamen sic ad uerbum græce est, ut necarent, & non inuenerunt, & cum multi falsi testes accederent non inuenerunt, ὅπως θανατώσωσι καὶ οὐχ εὗρον, καὶ πολλῶν ψευδομαρτυρῶν προσελθόντων οὐχ εὗρον. Scidit uestimenta sua dicẽs, blasphemauit) græce est, quia uel quod blasphemauit. id tanquam superuacuum aliqui sustulerunt: at sententia talis est quod blasphemauit. Quid adhuc, siue quid etiã egemus testibus, ὅτι ἐβλασφήμησεν, τί ἔτι χρείαν ἔχομεν. Et post triduum reædificare illud) non post, sed per est legendum, nec reædificare, sed ædificare, διὰ τριῶν ἡμερῶν οἰκοδομῆσαι, quod probat illud quod sequitur, quod exprobrabant quod tribus diebus templum dei ædificaret. Ecce nunc audistis blasphemiam) deest eius, ut sit, ecce nunc audistis blasphemiam eius, αὐτοῦ. Quod.

Exeunte autem illo ianuam uidit eum alia ancilla) non est græce ancilla, sed tantum alia: nec exeunte illo ianuam, sed exeũtem illum in ianuam uidit eum, ἐξελθόντα δὲ αὐτὸν εἰς τὸν πυλῶνα εἶδεν αὐτὸν ἄλλη καὶ λέγει. Et recordatus est Petrus uerbi Iesu qđ dixerat, priusquam gallus cantet) qui legẽdum est, nõ quod ἰησοῦ εἰρηκότος.

CAPVT XXVII.

SEdente autem pro tribunali misit ad eum uxor eius: Nihil tibi & iusto illi, multa enim sum passa hodie per uisum propter eum) Quis putasset idem esse hoc uisum & illud superius? Ecce angelus domini in somnis. & iterũ, Et respõso accepto in somnis: κατ᾽ ὄναρ. Nescio sicubi repperi uisum pro eo quod est in somnis. Nam illud diuersum est in actibus apostorum: Existimabat se uisum uidere, ὅραμα. Vergil. In somnis ecce ante oculos mœstissimus Hector Visus adesse mihi. Alibi: Hoc uisum nulli non ipsi effata sorori, Hoc uigilanti contigerat, illud dormienti. Ergo uisum uigilantis est, ut apud Ciceronem in Lucullo, ubi ait: Visum pro phantasia satis ab hesterno sermone. Nisi dicimus non esse hoc nomen græcum in somnis, sed somnium. unde illud Homericum, καὶ γάρ τ᾽ ὄναρ ἐκ διός ἐστιν. Id est, & somnium à Ioue est. Certe dicendo uisum, uix aliquis sentiat fuisse somnium. Quod ut omnes intelligerẽt, tot uerba feci. Illud autem nisi occurrisset, quia totier admonui, non admone-

Visum.

Somnium.

monerem fuisse dicendum, misit ad eum uxor sua. Quid igitur faciam de Iesu, qui dicitur Christus? dicũt omnes, Crucifigatur) Tres codices latinos, & totidẽ græcos habeo, cũ hæc cõpono, et nõnunquã alios codices cõsulo, & cũ in omnibus græcis legã, dicũt ei oẽs, tamẽ illud ei in nullo latinorũ lego, αὐτῷ. Vos uideritis) ὄψεσθε, eleganter dixit interpres uideritis pro uidebitis, à uidero non à uiderim. ut apud Ciceronem, ego uidero, id est ego uidebo. Nam idem est uerbum quod illic, ibi eum uidebitis, ὄψεσθε. Et chlamydem coccineã circundederunt ei.) Nescio cur dicatur coccinea potius quàm coccina, ut græce est, κοκκίνην, & latine sic dicitur, ut apud Iuuenalem: Et coccina lena. Et ratio postulat, quia coccus græce granum est latine, unde debet fieri coccinus non coccineus. Reor autẽ coccinam uestem esse, quæ tincta est ex eo, quod uulgo grana uocant. Et plectentes coronã de spinis posuerunt super caput eius) Non teneo memoria an hoc uerbum usquam latine legerim. Nam uenit à græco pleco, quod penè idem est quod nostrũ plico. & si in psalmis transferatur concinno: Iniustitias manus uestræ cõcinnant, συμπλέκουσιν, tamen quasi latinum esset, inuenio ab eo deriuatũ nomen plectilis, ut apud Plautum in Bacchidibus, pro galea scaphium, pro insigni sit corona plectilis. & apud Valerium Martialem libro secundo epigrammatum, Cũ corona plectili. Neq; apud poëtas tantum, sed in pro

Sex libri Laurẽtij.

Coccinus coccina, um

Coccus.

Plico.

Plectilis.

sa quoq; oratione. ut apud Au. Gelliũ: Laureã plecti lem, quasi sertum è lauro, & sertũ in coronã circũda-
Perplexũ. tũ. Ab hoc eodem uerbo fit, ut puto, perplexũ. unde apud Terentium in eunucho, pergin' scelesta mecum perplexe loqui? cui similis nũc uox est euãgelij, πλέξαντες, participium præteriti actiuum, hoc est, postquàm è spinis concinnarunt, siue complicuerunt, siue plexuerunt, imposuerunt capiti eius. Et duxerunt eũ ut crucifigerent) Ego mallem ut græce est dicere, & duxerunt eum ad crucifigendũ, εἰς τὸ σαυρῶσαι: nam sic uidetur significari quò ductus est. Et dederunt ei uinũ bibere cum felle mixtũ) græce non uinũ legitur, sed acetum: sed congruit cum illo sequenti, & acceptam spongiam impleuit aceto, ποιεῖν ὄξος. Prætereuntes autem blasphemabant eum, mouentes capita sua & dicẽtes: Vah qui destruit templum dei, & in triduo illud reædificat. salua temetipsum.) Nõ in Matthæo hæc est interiectio, sed in Marco, hoc autem sic transferendum est: qui destruis templum dei, & triduo ædificas, salua teipsum, ὁ καταλύων τὸν ναὸν, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις οἰκοδομῶν σῶσον σεαυτόν. Descendat nunc de cruce & credimus ei. Confidit in deo liberet eũ nunc si uult) græce est & credemus in eo, πιστεύσομεν ἐπ' αὐτῷ. Nec græce legitur, nunc si uult, sed si uult eũ, ῥυσάσθω αὐτὸν, εἰ θέλει αὐτόν. Et Maria Iacobi & Ioseph mater) Legendum est Iose mater, nõ Ioseph, de quo feci etiã

superius

ſuperius mentionẽ, ἰωσὴ. Itidẽ in Marco. Altera aũt die quæ eſt poſt paraſceuen) nõ eſt græce altera, ſed poſtera ſiue craſtina, ſed ego maluiſſem dicere po ſtera autem die, quod ueteres dixiſſent poſtridie autem paraſceues, τῇ δὲ ἐπαύριον. Quia ſeductor il le dixit adhuc uiuens:poſt tres dies reſurgam) græce eſt temporis præſentis, ſurgo, ἐγείρομαι. Ne forte ueniant diſcipuli eius) mallẽ dicere, nequando, hoc eſt uel nocte uel die, μήποτε. Habetis cuſtodiam) Cur potius habetis quàm habete? Nã utrũq; ſignificat græce. Nónne uериſimilius eſt Pilatum dixiſſe illis, ut haberẽt cuſtodiã quàm quod habebant? Quid enim attinebat dicere hos habere cuſtodiã, qui ab eo petierant, ut iuberet cuſtodiri ſepulchrũ? ergo transferendum fuit, habete cuſtodiam, ἔχετε κουστωδίαν. Sed forte melius habetis, ſi de cuſtodibus intelligatur quaſi diceret, en habetis cuſtodes. Nam in hunc ſenſum paulò poſt accipit interpres: Signantes lapidem cum cuſtodibus. Nam græce non cuſtodibus dicitur, ſed cuſtodia μετὰ τῆς κουστωδίας. & iterum: Ecce quidam de cuſtodibus, τινὲς τῆς κουστωδίας, quidam de cuſtodia. Idem nomen quod apud nos, id eſt, latinum, quo Græci Romano iam ſubiecti imperio utebantur, qualia ſunt alia nonnulla: ut prætorium, ut centurio, ut cenſus, ut denarius. Sed cum tria ſignificet hoc nomen, inſpiciamus quid hoc in loco ſignificet, an actum cuſtodiendi, an cuſtodes, an eũ qui

posteradies

Cuſtodia.

Prætorium
Centurio.
Cenſus.
Denarius.

custoditur. ut in actibus apostolorum: Tradi Paulũ cum reliquis custodijs, δεσμώτας. Et iterum: Militum autem consilium fuit, ut custodias occiderẽt, δεσμώτας. Nam quartam significationem uix addere audeo, & hoc accipi pro actu custodiendi, ut apud Valerium: Theramenes in publica custodia mori coactus est. Itaq; si dicimus habere custodiam, potest accipi pro actu custodiendi & pro custodibus: sin habetis, tantum custodibus. Et forte etiam pro [illegible]. Itẽ signantes lapidem cum custodia, aut pro custodibus, aut pro custodito. Et erit nouißimus error peior priore) primo transferendum fuit πρώτης.

CAPVT XXVIII.

Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati) Si uespere est generis neutri, ut illud, Factum est uespere & mane dies unus. siue potius masculini, hic uesper, ut doctißimi quiq; usurpãt, cur eius relatiuum est generis fœminini, quæ lucescit? Certe interpres deceptus est, quia idem genus est græce, sed respondens antecedenti, quod & si aduerbium est, tamen fœminine accipitur, ὀψὲ, ut die crastina, siue postera, τῇ ἐπ' αὔριον. Nec dicitur in prima, sed in una. Melius igitur utrunq; transfert Hieronymus, ad Heluidiam scribens: Vespere sabbati illucente in una sabbati. sed eum puto transtulisse sabbatorum non sabbati. Nam si transfertur ad uerbum hic locus, uespere autem sabbatorũ, quod, uel qui lucescit, siue lucenti in

Vesper.

Et in una sabbatorū, ὀψὲ δὲ σαββάτων τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων. qđ si quæratur quomodo uespere sabbatorum dicitur, & in una sabbatorum hic pro hebdomade, illic pro uno die? respondebimus eadem ratione, qua dictum est, ieiuno bis in sabbato, hoc est in hebdomade. è diuerso, Si licet curare sabbatis, id est die septimo. & in Marco: Et statim sabbatis ingressus synagogā docebat eos. Quod autem di[illegible] sabbatorum, & non in uno, satisfaciunt [illegible] Hieronymi dicentis, quod nos solemus [illegible] & neutraliter appellare, id est hoc quæsiui, [illegible] Hebræi fœminino genere pronunciant, sicut in psal. Vnā petij à domino, hanc requirā. pro eo quod est, unum. Et exierunt citò de monumento cū timore, & gaudio currentes nunciare discipulis eius) Mutatum est uerbum in participium, & rursus participium in uerbum, sed trāslatio hæc ad uerbum apertior ac mundior erit, ut uerior, sic: Et egressæ citò à monumento cum timore, & gaudio currebant ad annunciandum discipulis eius, ἐξελθοῦσαι, ἔδραμον. Nescio an interpretis, an librarij primo hallucinati sint oculi. nam statim sequitur, quod in quatuor quos inspexi codicibus non inueni latine, quod legi in quatuor græcis. Cum autē irent nunciare discipulis eius. optimeq; sequitur: Et ecce Iesus occurrit illis, ὡς δὲ ἐπορεύοντο ἀπαγγεῖλαι τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ. Vt eant in Galilæam ibi me uidebunt) Deest nobis co

Sabbatum.

Vna sabbatorum.

Vna pro unum.

pula, nanq; ſic legendum eſt, & ibi me uidebũt, κἀκεῖ. Iterum deeſt copula. Et cõgregati cum ſenioribus concilio accepto.) Legendum eſt enim, concilioq́; accepto, συμβούλιόν τε λαβόντες. Et ſi hoc auditũ fuerit à præſide nos ſuadebimus ei,) πείσομεν. Non habent græci duo uerba diſtincta, ſicut nos ſuadeo & perſuadeo, ideo perſuadebimus dicendum fuit, ut fecit ſuperius interpres: Principes autẽ ſacerdotum & ſeniores perſuaſerunt populis) ἔπεισαν. Suadere enim eſt dare conſilium & adhortari: perſuadere autẽ ſuadendo inducere. Baptizantes eos in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti) græce eſt accuſatiui caſus in nomen patris & filij & ſpiritusſancti. Qui caſus aliquid diuerſum facit, aut quod ſuperius teſtatus ſum, pro datiuo græco & noſtro ablatiuo accipitur, εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, quod potius reor, ut pauloante, in una ſabbatorum, pro in unam, εἰς μίαν. & multis alijs locis.

Suadeo, Perſuadeo.

Accuſatiuus pro ablatiuo.

FINIS.

IN EVANGELIVM MARCI ANNOtationes Laurentij Vallensis.

CAPVT I.



Vit Ioannes in deserto baptizans & prædicans baptismum pœnitentiæ.) Non dicitur quod Ioannes fuit in deserto. Nam incipiendum fuit à dignitate aliqua & nuncupatione uiri potius, quàm ab eius actione, tãquam de eius nomine fuisset iam facta mentio, ut apud Ioannem: Fuit homo missus à deo, cui nomen erat Ioannes. Nec dicitur fuit homo missus, sed fuit homo: deinde missus à deo, id est qui missus fuit à deo. Ideoq; ego utrunq; locum, nam utrobiq; idem uerbum est, transtulissem, extitit, non Extitit. fuit. Nam neq; extitit iungitur cum participio, neque græce est uerbum substantiuum: sed illud quod solet transferri, factus est, neq; græce est, ut Latine, baptizans post dictiones in deserto, sed ante hoc modo, ut ad meum arbitrium transferam: Extitit Ioannes baptizans, siue qui baptizabat in deserto, ἐγένετο ἰωάννης βαπτίζων ἐν τῇ ἐρήμῳ. Baptismum quidam putant neutri quoq; esse generis, & sic aliquando in Baptismũ euangelio legunt, quasi non sufficiant baptismus & ba barbarum ptisma, & quasi lingua græca patiatur dici hoc ba- esse.

ptismum. Quia de hoc nomine feci mentionem, quod graeco non responderet, si foret generis neutri, admoneor ut eos improbem, qui putāt Marcum latine scripsisse, qui si graeci, sat profecto latina: sin latini, graeca ignorare se indicant. Cui rei testimonio est uerbum quod attigi, & quod sequitur: Erat Ioannes uestitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos eius.) nā si fuisset latinus scriptor, dixisset circa lūbos suos, quod interpres ideo dixit eius, qđ [illegible] ambiguitate graecae uocis. Non enim zona nominatiui est casus, sed ablatiui: sicut pilis, quae ambo sunt graece accusatiui, ἦν δὲ ὁ ἰωάννης ἐνδεδυμένος τρίχας καμήλου καὶ ζώνην δερματίνην περὶ τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ. Et statim: Ascendens de aqua uidit apertos coelos, & spiritumsanctum tanquam columbam descendentē & manentē in ipso) apud Ioannē est, descēdentem & manentē super eum, apud Marcū non nisi, descēdentē super eū, siue super ipsum. nec apertos coelos dicitur, sed scissos, εἶδεν σχιζομένους τοὺς οὐρανοὺς καὶ τὸ πνεῦμα ὡσεὶ περιστερὰν καταβαῖνον ἐπ᾽ αὐτόν. Tu es filius meus dilectus, in te complacui) graece est, in quo complacui, siue in quo bene placui, ἐν ᾧ ηὐδόκησα. Et statim spiritus expulit eum in desertum) praesentis est temporis nō praeteriti, quod ego dixissem emittit. Nam expellere durum uidetur, praesertim apud hunc interpretem, qui de eodem uerbo ait: ne mittatis margaritas uestras porcis, ἐκβάλ

λῃ.

Marcū graece scripsisse

λει. Et appropinquabit regnum dei, pœnitemini et credite euangelio) Appropinquauit legendum est, et credite in euãgelio. Pœnitemini, durum insuetumq; uerbum, ἤγγικεν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ, μετανοεῖτε καὶ πιστεύετε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ. Erat enim docens eos quasi potestatem habens, & non sicut scribæ) tanquã siue uelut potestatem habens dicendum fuit, non quasi, quod nihil aliud est quàm ac si potestatem haberet, uidelicet quod non habebat. Nam cum dico, tu loqueris quasi rex, nego te regem esse. at tu loqueris uelut rex, siue tãquam rex, non utiq; te nego regem esse, et si non affirmo, ut est in illo, tu agis consulem, tam de uero consule, quàm de consulem imitante dici potest. Quasi.

Et exclamauit dicens: quid nobis & tibi Iesu Nazarene, uenisti ante tempus perdere nos? scio qui sis sanctus dei.) Exclamabat græce legitur, & sine, quid nobis & tibi, ἔκραξε λέγων, ἔα, τί ἡμῖν καὶ σοί. Melius habent ij codices, in quibus legitur, scio quis es. sed addẽdum est te, ut sit: scio te quis es, οἶδά σε τίς εἶ. Eamus in proximos uicos & ciuitates) græce est unum nomen compositum ex uicus & urbs, proinde ego dixissem, in proxima oppida, κωμοπόλεις. Ita ut non posset manifeste in ciuitatem introire, sed foris in desertis locis esse) Melius in quibusdam codicibus legitur, esset siue erat, ἦν.

CAPVT II.

ET iterum intrauit Capernaum post dies) Non post dies legēdum est, sed per dies, δι᾽ ἡμερῶν. Et conuenerunt multi, ita ut non caperent neq; ad ianuam) deest, statim. Nam dicitur, & statim conuenerunt, καὶ εὐθέως συνήχθησαν. Sed quod erit suppositum uerbi caperent? certe in græco est, dicitur enim ita, ut iam non caperent, non ea quidem quæ ad ianuā erant, id est, ne ea quidem loca ὥστ[illegible]ι χωρεῖν, μηδὲ τὰ πρὸς τὴν θύραν. Et cum nō possent offerre eum illi) græce est, & cum non possent appropinquare ei, καὶ μὴ δυνάμενοι προσεγγίσαι αὐτῷ.

Quid hic sic loquitur, blasphemat) blasphemias legendū est, βλασφημίας. Dicebant discipulis eius, quare cum publicanis & peccatoribus manducat & bibit magister uester?) Nō legitur græce magister uester, sed quasi deesset, ab aliquo adiectum est. Mihi autem uidentur potius interrogaturi fuisse pharisæi sine supposito, ut fieri solet de re nota. Non enim ueni uocare iustos, sed peccatores) Redundat particula enim, & deest, ad pœnitentiam. ut sit, peccatores ad pœnitentiam, οὐκ ἦλθον εἰς μετάνοιαν. Et discipuli eius cœperunt progredi & euellere spicas) græce est, & cœperunt iter facere uellentes spicas, ὁδὸν ποιεῖν τίλλοντες τοὺς στάχυας. Quos non licebat mãducare, nisi solis sacerdotibus: & dedit ijs qui cum eo erant) Melius legitur in ijs codicibus qui non

habēt

habent solis. præterea legendum est licet, non licebat. & dedit etiam ijs qui secum erant, οὓς οὐκ ἔξεστι φαγεῖν, εἰ μὴ τοῖς ἱερεῦσι, καὶ ἔδωκε καὶ τοῖς σὺν αὐτῷ οὖσι.

CAPVT III.

Multos enim sanabat) Sanauerat legendū est, ἐθεράπευσεν. Et uehementer comminabatur eis ne manifestarent illum.) Increpabat ego dixissem, ἐπετίμα. Et ascendens in montem uocauit ad se quos uoluit) græce est temporis præsentis sic, & ascendit in montem, & aduocat quos uoluit, καὶ ἀναβαίνει εἰς τὸ ὄρος καὶ προσκαλεῖται οὓς ἤθελεν. Iudam Scarioth) Scarioten legendum est, ἰσκαριώτην. Ita ut mirarentur omnes, & honorificarent deum) potius est glorificarēt, δοξάζειν. Mirarentur quoque parum implet græcam uocem, ἐξίστασθαι, quod est plus quàm obstupescere. Siquidem in actibus apostolorum, ubi dicitur quod in orātem Petrum incidit mentis excessus, simile uocabulum est ἔκστασις. Atq; idem paulopost in Marco, dicebant: in furorem uersus est, ἐξέστη, quod ego maluiſſē dicere, dicebāt, amens factus est, siue mente captus est. Et cum audissent sui, exierunt tenere eum) græce est, ut ad uerbum transferam, Et cum audissent qui ab eo erant, exierūt tenere eū, καὶ ἀκούσαντες οἱ παρ' αὐτοῦ. Sed reus erit æterni delicti) æterni iudicij legēdū est, κρίσεως, Matth. 15.

CAPVT IIII.

ET aliud cecidit in terram bonam & dabat fructum ascendentem & crescentem, & afferebat unum triginta, & unum sexaginta, & unum cētum) Cum dicatur aliud semē in terram bonam, quasi unū sit, quomodo dicitur mox unum & unum & unum, quasi sit multiplex? Sciamus ergo graece non unum dici, sed in, quod iisdem literis scribitur quibus unū, sed diuerso tono, in quo non puto deceptum interpretē, sed ita transferendum putasse, quia nihil censeret esse differentiae in sententia, & aptius dici quàm ad uerbū sic: & afferebat in triginta & in sexaginta, & in centum. Sed quomodo congruet hoc cum sequenti ubi dicitur: Et ii sunt qui supra terram bonam seminati sunt, qui audiunt uerbum & suscipiunt, & fructificant unum triginta, unum sexaginta, & unum centū? quid est hoc unum? cur non potius unus? nam homines dicuntur seminati, an unum uerbum? minime: quia idē fructificat quod suscipit. at uerbum suscipitur non suscipit: & alioqui graece uerbum masculini, & illa uox de qua agimus, quae est similis praepositioni in, est neutri generis. Ergo transferendum fuit per praepositionem uterq; locus, ἓν τριάκοντα, καὶ ἓν ἑξήκοντα καὶ ἑκατόν. Et cum esset singularis interrogauerūt eum qui cum eo erant duodecim parabolam) Legendum est, interrogauerunt eum qui circum ipsum erant cum duodecim, οἱ περὶ αὐτὸν σὺν τοῖς δώδεκα. Singularis

ἓν in.
ἕν unum.

gularis aũt inusitate trãslatũ, κατὰ μόνας, ideoq; obscurius, cui simile est in psal. Singulariter in spe cõstituisti me, κατὰ μόνας. apertius apud Lucã, Et factũ est cũ solus esset orãs, κατὰ μόνας. Vt uidẽtes uideant et nõ uideãt) quoniã diuersa sunt græce uerba, ego dixissem, ut cernẽtes cernãt, siue ut aspiciẽtes aspiciãt, & nõ uideãt, ἵνα βλέποντες βλέπωσι, καὶ μὴ ἴδωσι. Sic est regnũ dei quẽadmodũ si homo iaciat sementẽ in terrã, & dormiat, & exurgat nocte ac die, & semẽ germinet, & increscat dũ nescit ille) pro eodẽ accipit interpres sementẽ & semen, cum semen sit corpus, sementis autem actio, id est satio siue seminatio: quibus exemplis plena sunt omnia. ut apud Ciceronem de oratore, Quis ignorat quæ sit semẽtis & messis? id est satio & meßio. Sed quia messis pro frumento quod meti potest accipitur, ideo fortassis quidã putauerũt posse sementẽ accipi pro semine, ut in genesi: Habens unumquodq; sementem secundum speciẽ suã. Certe nunc causa uariandi non fuit, cum græce sit idẽ nomẽ, ὡς ἐὰν ἄνθρωπος βάλει τὸν σπόρον καὶ ὁ σπόρος † βλάσει. Magister nõ ad te pertinet quia perimus? & exurgens comminatus est uento, & dixit, mare tace, obmutesce) Ego dixissem: magister non est tibi curæ quod perimus? Aliud est non pertinere ad te, & nõ esse tibi curæ. Nam posses non curare quæ ad te pertinerent, & curare quæ non pertinerent. Increpuit quoq; maluissem dicere, quia comminari uento

Singularis pro solitarius.

Semen.
Sementis.
Messis.

† βλαστάνῃ

Pertinere,
Curæ esse.

improprium sit, et græce est potius increpare. οὐ μέλει σοι ὅτι ἀπολύμεθα, καὶ διεγερθεὶς ἐπετίμησε. Et ait illis, quid timidi estis? necdũ habetis fidẽ? & timuerunt timore magno, & dicebant ad alterutrum, quis putas est iste?) Ego dixissem: quid timidi estis? siccine necdum habetis fidem? οὕτως πῶς οὐκ ἔχετε πίστιν; uel sic: quid timidi estis? siccine? quomodo non habetis fidem? quis putas iam dixi mihi nõ placere, sed quisnam τίς ἄρα. Alterutrum autem quod significat unum de duobus utrum uelis, nescio cur dicatur pro eo quod est mutuo inuicem inter se alius ad alium, πρὸς ἀλλήλους, præsertim anteposita præter consuetudinẽ præpositione, cum sit nunc tãquam aduerbium. Hoc nomen in hunc sensum apud nullum quod sciam ueterũ repperi, sed apud Boëthiũ qui inter ueteres non est ponendus, qui inquit in libris de cõsolatione, ueruntamen in alium sensum, hoc est pro alterno: Alterutro calle procedã, nunc hoc nunc illo proposita confirmans.

Alterutrũ.

CAPVT V.

ET uenerũt trans fretũ maris in regionẽ Gerasenorũ) Gadarenorũ legẽdũ est γαδαρηνῶν. neq; dicitur trãs fretũ maris, sed trãs mare, siue ad ulteriora maris, siue trans fretum, siue transfretantes uenerunt in regionem Gadarenorum, καὶ ἦλθον εἰς τὸ πέραν θαλάσσης. Melius ergo paulopost: Et cũ transcendisset Iesus in naui rursus trans fretum, καὶ διαπεράσαντος

περάσαρτος εἰς τὸ πέραν. Impone manum super eam, ut salua sit & uiuat) Quid attinebat addere, & uiuat? an nõ satis erat ut salua esset? ergo legẽdũ erit & uiuet, id est et salua erit, ζήσεται, melius in ijs codicibus ubi legitur in numero plurali manus, τὰς χεῖρας. Adhuc eo loquente ueniũt ad archisynagogum dicentes, quia filia tua mortua est) Melius ubi legitur ab archisynagogo, id est à domo ipsius, ἀπὸ τοῦ ἀρχισυναγώγου. Et uidit tumultũ flentes & eiulãtes multũ) græce est iubilantes, sed proprie tamen translatum est. quia iubilatus est, ut Varro ait, clamor rusticorum, & quiritatus urbanorum. Quo magis miror eos qui uolunt esse suauem uocem & cantum, ἀλαλάζοντας. Iubilatus.

CAPVT VI.

FRater Iacobi, & Ioseph, & Iudæ, & Simonis) Iose scribendũ est, nõ Ioseph, ἰωσῆ. Exeũtes inde excutite puluerẽ de pedibus uestris in testimonium illis. & exeũtes prædicabãt) Multũ in nostris codicibus deest post dictionẽ illis, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἀνεκτότερον ἔσται σοδόμοις ἢ γομόῤῥοις ἐν ἡμέρα κρίσεως ἢ τῇ πόλει ἐκείνῃ, id est, amẽ dico uobis, tolerabilius erit Sodomis aut Gomorrhis in die iudicij quàm ciuitati illi. quod à nobis detruncatũ esse, minus mirabile facit, quod ex oratiõe dominica multũ detrũcatũ est. Quicquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei) Græce est, quicquid me petieris dabo tibi

usq; ad dimidium regni mei, ὃ ἐάν με αἰτήσῃς δώσω σοι ἕως ἡμίσους τῆς βασιλείας μου. Et contristatus est rex propter iusiurandum, & propter simul discumbentes noluit eam contristare) Non contristare legēdum est, sed fraudare uel frustrari, ἀθετῆσαι. Nec cōtristatus est, legendum est: sed contristatus, siue tristior factus rex, quasi dicatur, & si contristatus, tamen propter conuictores noluit eam fraudare, non autem quod sit contristatus propter illos, καὶ περίλυπος γενόμενος ὁ βασιλεὺς. Et præcepit illis ut accumbere facerent omnes secundum contubernia super uiride fœnum, & discubuerunt in partes per centenos & quinquagenos) quod hic contubernia, in Luca transfertur conuiuia, quod nomen magis respōdet græco & si geminato, συμπόσια συμπόσια, quod ego trāstulissem manipulatim, id est per manipulos, qui manipuli partim erant centeni, partim quinquageni. proinde melius in ijs codicibus legitur, in quibus legitur per centenos & per quinquagenos ἀνὰ ἑκατὸν καὶ ἀνὰ πεντήκοντα. Sed cur fœnum potius quàm herbam? Certe siccum nō erat, ut credibile est, & si uirēs erat, ergo herba fuit: quod uerbū cur nonnunquam trànsfertur fœnum non intelligo, ut in psalmis: Florebunt de ciuitate sicut fœnum terræ. Nunquid herba florescit an fœnum? Et plus magis inter se stupebant, non enim intellexerant de panibus) græce est & ualde supra modum intra se stupebant, siue attoniti

attoniti erant & admirabantur, καὶ λίαν ἐκ περισσοῦ ἐν ἑαυτοῖς ἐξίσταντο καὶ ἐθαύμαζον.

CAPVT VII.

Erat autem mulier gentilis Sirophœnissa genere) non est nunc gentilis à gente, quod dicitur ἐθνικὸς, sed quod crebro transfert Græcus ἕλλην: de quo in sequentibus dicetur. Multi codices habēt, erat enim, sed non recte, ἡ δὲ γυνὴ ἦν. Non est enim bonum sumere panem filiorum & mittere canibus. At illa respondit & dixit ei: utiq; domine, nam & catelli sub mensa comedunt de micis puerorum) In Matthæo admonui non esse canes & catelli, sed tantum alterum κυναρίοις κυνάρια: & illud utiq; esse, quod alibi transfertur etiam ναὶ. & puerorum opinor magis debuisse transferri filiorum, ut respondeat illi, panem filiorum, παίδων. Et adducunt ei surdum & mutum) non est græce copula, sed surdum mutum, siue surdum bardū, siue præpedita lingua, κωφὸν μογιλάλον. Effœta quod est adaperire, & statim apertæ sunt aures eius) Adapire nihil aliud est quàm aperire. superuacuum esset admonere, nisi quidam superstitiose uellēt extrinsecus fieri apertionem, intrinsecus adapertionem, ut locum illum: Omne masculinū adaperiens uuluam, sanctum domino uocabitur, referrent ad beatam Mariam, quasi non id dictum sit de omnibus mulieribus, quæ extrinsecus à uiris aperiuntur. Certe hic locus ostendit ineptiam ita sentientiū, Adaperio.

cum dicatur: apertæ sunt aures eius cui dictum est ada perire. Sed neq; latine neq; græce hæc est differẽtia, διανοίχθητι διηνοίχθησαν. *Quanto autẽ eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant)* Ego *sic transtulissem,* Q*uanto autem ipse eis præcipiebat magis, uehementius prædicabant, ut sit quanto magis.* A*ut si non refertur magis ad quãto, aut alterum magis subaudiendum erit, aut transferendum quantum,* ὅσον δὲ αὐτὸς αὐτοῖς. *Bene omnia fecit, surdos fecit audire & mutos loqui) græce legitur, et surdos. & ita in quibusdã uetustis apud nos exẽplaribus translatũ legimus. tamen græce est, facit non fecit. qui plenior quidem sensus est,* καὶ τοὺς κωφοὺς ποιεῖ.

CAPVT VIII.

E*T sustulerunt quod supererat de fragmentis septem sportas)* Ego *ad uerbum transtulissem sic:* E*t sustulerunt superamenta fragmentorum,* περισσεύματα κλασμάτων. E*rant autem qui manducauerunt quasi quatuor millia) ferè aut ferme, aut circiter dicendum erat, non quasi* ὡς. E*t exierunt pharisæi & cœperunt conquirere cum eo.)* I*nsolens sermo cõquirere cum eo, pro altercari, siue disputare cum eo,* συζητεῖν αὐτῷ. E*t si uicum introieris nemini dixeris) græce est, neq; in uicum introieris, neq; cuipiam dixeris in uico.* V*icus nũc accipitur pro oppido: extra oppidum enim* I*esus eduxit cæcum,* μηδὲ εἰς τὴν κώμην εἰσέλθῃς, μηδὲ εἴπῃς τινὶ ἐν τῇ κώμῃ.

Vicus.

κώμας. Reſponderunt ei dicentes Ioannem Baptiſtam, & alij Heliam, alij uero quaſi unũ ex prophetis) non legitur græce quaſi, ſed, alij uero unum prophetarum ἄλλοι δὲ ἕνα τῶν προφητῶν. Et apprehẽdens eũ Petrus cœpit increpare eũ. qui conuerſus & uidẽs diſcipulos ſuos, cõminatus eſt Petro dicẽs, uade retro me ſatana) cur nõ potius increpuit Petrũ quàm cõminatus eſt Petro? Increpãtis enim nõ cõminantis eſt dicere, uade retro me ſatana. & græce eadem utrobiq; dictio eſt ἐπιτιμᾷν, ἐπετίμησε. Retro autem me pro poſt me, eiuſdẽ uitij eſt, cuius illud in pſal. Dilataſti greſſus meos ſubtus me, pro ſubter me. quoniã retro & ſubtus nõ præpoſitiones ſunt, ſed aduerbia. Apud Auguſtinum lego per præpoſitionem dictum, ſic: Redi poſt me ſatana.

Retro, Subtus.

CAPVT IX.

RAbbi bonum eſt nos hic eſſe, & faciamus tria tabernacula) faciendũ legẽdum eſt, alioqui dicendum erat & facere, non aũt & faciamus, ποιήσωμεν. Hic eſt filius meus chariſsimus) uariandi gratia dixit interpres chariſsimus pro dilectus. Delectatur supra modũ interpres uariandis uerbis, ἀγαπητός.

Et interrogabant eum dicentes: quid ergo pharisæi & ſcribæ dicunt?) græce non legitur ergo, nec quid, ſed quod, ſeu quia, ὅτι λέγουσιν. Et ueniens ad diſcipulos ſuos, uidit turbam magnam circa eos, & ſcribas conquirentes cum illis. & confeſtim

omnis populus uidens eum stupefactus est, & expaue runt, & accurrentes salutabant eum. & interrogauit eos: quid inter uos conquiritis?) non interrogauit Iesus discipulos, sed tantum scribas quid altercarentur. dicitur enim græce: & interrogauit scribas, quid altercamini, siue disputatis? apud eos siue ad ipsos, hoc est cum discipulis meis: siue apud ipsos, id est, uos ipsos, καὶ ἐπηρώτησε τοὺς γραμματεῖς τί συζητεῖτε πρὸς αὐτούς. Et inde profecti prætergrediebantur Galilæam) uidetur ex his uerbis non intrasse Iesus Galilæam, sed iuxta transisse. At græce dicitur, per Galilæam, διὰ τῆς γαλιλαίας: ergo legendum per Galilæam. Siquidem inter se in uia disputauerãt quis esset illorum maior) græce legitur, quis maior, quasi quis maior cæteris: nam maior omnium non ita belle dicitur, τίς μείζων: quoniam paulo post dicitur, erit omnium nouissimus, πάντων ἔσχατος. Respondit illi Ioannes, magister uidimus quendam in nomine tuo eijcientem dæmonia qui non sequitur nos & prohibuimus eum. Iesus autem ait) Aliquantulum apud nos deest, dicitur enim græce, & prohibuimus eum quia non sequitur nos. quod ideo fuit, ut opinor, à librarijs prætermissum, quia repetũtur eadem uerba, atqui cum summa gratia repetuntur, ὅτι οὐκ ἀκολουθεῖ ἡμῖν. Bonum est ei magis si circundaretur mola asinaria collo eius, & in mare mitteretur) græce sic legitur, si circundetur lapis molaris circum eius

eius collum & iaciatur in mare, εἰ περίκειται λίθος μυλικὸς περὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ, καὶ βέβληται εἰς τὴν θάλασσαν.

CAPVT X.

ET erunt duo in carne una) græce est casus accusatiui in carnem unam, quæ sententia nonnihil uidetur differre. aliud est enim, tu es mihi in filiū, & in filio, εἰς σάρκα μίαν, quanquam hoc non ausim affirmare, quia nonnunquam accusatiuum græce positum pro datiuo. ut paulò post, Et qui in agro est, καὶ ὁ εἰς τὸν ἀγρὸν ὤν, id est qui in agrum est. Quod ergo deus coniunxit homo non separet) uerbū de uerbo transferendo diceremus, coniugauit, συνέζευξε. In filium, In filio.

Et in domo iterum discipuli eius de eodem interrogabant eum, & dicit illis; quicunq; dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam. & si uxor dimiserit uirum suum, & alij nupserit, mœchatur) discipuli sui dicendum erat, non eius, quia sequitur eum. Quod interpres unam uocem græcam γαμήσῃ καὶ γαμηθῇ uariauerit per aliam duxerit, & alij nupserit: fateor recte fecisse, quia ad uirum non pertinet nubere, & si legamus, Neq; nubent neq; nubentur, quod uariauerit μοιχᾶται, per adulterium committit & per mœchatur, non probatur mihi, cum præsertim hoc ipsum mœchatur sit idem græcum. Discipuli comminabantur offerentibus) interpres cōminari pro increpare accipit, nescio qua Nubere.

autore. græce autẽ plene est increpabant, ἐπετίμων.

Filioli quàm difficile est) non est græce filioli, sed filij siue nati, τέκνα. nam & paulò post inquit: Qui reliquerit patrem aut matrem, aut filios, τέκνα. Et quicũq; uoluerit fieri maior erit uester minister) græce est, quicunq; uoluerit fieri magnus in uobis. & ratio in promptu est, quia sequitur, quicũq; uoluerit in uobis primus esse, erit omnium seruus: nam inter maiorem omnium & primũ nihil interest: ergo qui uult esse magnus sit minister, quicunque uero maximus uel primus, sit omnium seruus, μέγας ἐν ὑμῖν. Et uocant cæcum dicentes ei, animæquior esto, surge uocat te.) Aequanimis dicitur quis, non animæquus, ergo æquanimior dicendum fuit, imò æquanimis, quia non habet comparatiuum, ac ne æquanimis quidem, quia uerbum est non nomẽ, θάρσει, nec omnino significatio respondet. nam aliud est esse æquanimẽ & cõfidere. dicimus enim æquanimitatẽ, quasi patiẽtiã qđ æquo animo feramus. melius apud Matthæum, confide filia, θάρσει. Qui proiecto uestimento suo exiliens uenit ad eum) parũ proprie dicitur exilire nunc de cæco, quia nõ de loco suo in aliũ exilijt. græce dicitur surgens, siue cum surrexisset, ἀναστάς.

Maior omniũ, primus.

Aequanimis.

Aequanimitas.

Exilio.

CAPVT XI.

Et cum stabitis ad orandum) neque eleganter dicitur stabitis ad orandũ, neq; græco respondet, quod ita ad uerbũ trãsfertur, cũ steteritis orãtes,

ὅταν

ὅταν στήκητε προσευχόμενοι. Baptiſmũ Ioãnis de cœlo erat, an ex hominibus?) Ita parũ curæ eſt hominibus ſeruare loquendi proprietatẽ, ut cũ dicatur baptiſmus, & baptiſma etiã, tertiũ addant baptiſmũ, ut iterũ ſuperius admonui. græce nunc baptiſma eſt, βάπτισμα.

CAPVT XII.

ADhuc ergo unum habens filium chariſsimũ) ut ſuperius dixi poſitiuum eſt non ſuperlatiuum, dilectus, ἀγαπητόν. Et non curas quenquam) Significantius transferretur ad uerbum, Non eſt tibi curæ de quoquam, οὐ μέλει σοι περὶ οὐδενός. Nõ enim uides in faciem hominum) maluiſſem nunc ego dicere, in perſonam hominum, hoc eſt in cõditionem, differentiã, qualitatẽ hominũ, εἰς πρόσωπον. Licet dari tributũ Cæſari, an nõ dabimus?) manifeſtius error ſcripturæ ob ſubtracta uerba. græce enim eſt licet dare cenſum Cæſari, an non? demus an non demus? ἔξεστι κῆνσον καίσαρι δοῦναι ἢ οὔ; δῶμεν ἢ μὴ δῶμεν. Qui ſciens uerſutiam eorum.) Neſcio cur interpres formidauit hoc loco dicere hypocriſim, ὑπόκρισιν, cum frequenter dicat hypocritas, cum præſertim hypocriſis ſit magis ſimulatio, quàm uerſutia, nec eſt, qui ſciens: ſed, ille autem ſciens, ὁ δὲ εἰδώς. Diliges proximum tuum tanquam teipſum.) In Matthæo eſt, Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Non ſemper obſeruat interpres

Hypocriſis

Sicut, Tanquam, Velut.

differentiam inter sicut & tanquam, seu uelut. Est autem sicut teipsum hoc, quod sicut teipsum diligis, tanquam uero teipsum, siue uelut teipsum, idē est quod tanquā siue uelut tu ille esses. utrum autem sit uerius, Hebræus interrogandus est. Nam græcus non habet ut nos distincta aduerbia, ὡς. Qui deuorant domos uiduarum sub obtentu prolixæ orationis, hi accipient prolixius iudicium) Sicut alibi interpres unum uerbum diuersis latinis transfert, ita nunc diuersa græca trāsfert uno latino prolixum: græce autem est qui deuorantes domos uiduarum, & prætextu multa orātes, siue & prætendentes longam precem, hi accipiēt amplius siue abundantius iudicium, οἱ κατεσθίοντες τὰς οἰκίας τῶν χηρῶν, οὗτοι λήψονται περισσότερον κρίμα.

CAPVT XIII.

Magister aspice quales lapides sint, & qualis structura templi. Et respondēs Iesus ait illi) Ego transtulissem potius, aspice quanti lapides, siue quanta saxa, & quantæ structuræ, ποταποὶ λίθοι καὶ ποταπαὶ οἰκοδομαί. Et cū duxerint uos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini) græce est, ne anxij sitis quid loquamini, neq; meditemini, μὴ προμεριμνᾶτε τί λαλήσητε μὴ δὲ μελετᾶτε. Væ aūt prægnantibus & nutrientibus in illis diebus) græce est apertius. Non enim dicitur nutrientibus, sed lactantibus, θηλαζούσαις. Erunt enim dies illi tribulationes

nes, quales non fuerunt ab initio creaturæ) græce est, tribulatio qualis non extitit ab initio creaturæ. & de bere singularē numerum esse probat quod sequitur, Sed in illis diebus post tribulationem illam, θλῖψις οἵα οὐ γέγονε τοιαύτη. Cœlū & terra transibūt, uerba autem mea non transient) Hanc uarietatem fu turi temporis non ita fert linguæ latinæ ratio ut græ ce. Nam transibunt potius, quàm transient dicimus. græci habent, παρελεύσεται, & παρέλθωσι, nume ri singularis est, ut fuerit transferēdum, cœlum & ter ra transibit.

CAPVT XIIII.

ET quærebant summi sacerdotes & scribæ, quo modo eum dolo tenerent & occiderent.) Alius forsitan ad uerbum transtulisset, quomodo eum dolo captum, seu prehensum dolo occiderent: nam nunc ut multis in locis tenere significat capere κρατήσαντες ἀποκτείνωσι. Dicebant enim, non in die festo) dice bant autem est græce, & merito, non enim reddit cau sam quare eum occidere uellent, ἔλεγον δὲ. Venit mulier habens alabastrum unguēti nardi spicati pre cioſi) Spicatæ preciosæ legendum est. refertur enim non ad unguēti, sed ad nardi, quod est fœminini, ἀλά βαστρον μύρου νάρδου πιστικῆς πολυτελοῦς. Idem dico de loco apud Ioannem: Maria ergo accepit librā unguenti nardi pistici preciosi. Sed cum sit idem utro bique nomen, cur interpres non transtulit spicatæ, in Io

Pisticæ. anne nõ transtulit. Pisticæ enim græcum uerbum est, quod Augustinus putat dictum ab aliquo loco, & ait: pistice interpretatur fidelis à fide, quæ est Christiana religio, quia pistis græce dicitur, quasi græci pistin appellarent tunc religionem, & non probationem. ut cum dicimus, fac fidem, feci fidem, id est nardi pisticæ, id est probatæ & fidelis, nec dolosæ. Spicatæ autem ideo transtulit interpres, quod dicitur spica nardi: ut spica Celtica, & quæ preciosior est spica Indica. Et occurret uobis homo lagenã aquæ baiulans.) Quod hic lagenam, in Luca dixit amphoram, cum sit idem utrobiq; uerbum græce, quod significat uas fictile, κεράμιον. Vbi est refectio mea?) Melius apud Lucam transfertur diuersorium. eadem uox κατάλυμα. At illi cœperunt contristari, & dicere sigillatim, nunquid ego? qui ait illis.) Non nihil similitudine sermonis uel ab interprete, uel à librarijs omissum est. Sic enim est græce: Nunquid ego & alius? nunquid ego? Iesus autem respondens, dixit eis: μήτι ἐγώ; καὶ ἄλλος, μήτι ἐγώ; ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτοῖς. Accepit Iesus panem, & benedicens fregit.) Verbum è uerbo alius transtulisset sic, Acceptum Iesus panem cum benedixisset, fregit. λαβὼν ὁ ἰησοῦς ἄρτον εὐλογήσας ἔκλασε. Idẽ dico de calice. Qui pro multis effundetur) græce est effunditur, ἐκχυνόμενον. Sed non quod ego, sed quod tu.) græce est, sed non quid ego, sed quid tu, ἀλλ' οὐ τί, ἀλλὰ τί σύ. Et non

non erat conueniens testimonium illorum) græce est, & neq; ita cõueniens erat testimonium eorum. Nam superius iterum dicebatur non esse conuenientia testimonia, ideo nũc dicitur, ne sic quidem erat conueniẽs testimonium eorum, καὶ οὐδὲ οὕτως. Quid adhuc desideramus testes?) Elegantius transtulit interpres quàm uerius, & si proprie transtulit. Sed ne quis putaret accipi desideramus pro cupimus, non fuit mihi omittendum non ita haberi græce, sed quid adhuc, siue quid amplius necesse habemus testibus? τί ἔτι χρείαν ἔχομεν μαρτύρων. Vere ex illis es, nam & Galilæus es. Ille autẽ cœpit anathematizare & iurare) Aliquantulũ è græco deest, ubi ita legitur: etenim Galilæus es, & loquela tua similis est, καὶ ἡ λαλιά σου ὁμοιάζει. quod nunc græce profert interpres, in actibus transfert deuouere se: Collegerunt se quidam ex Iudæis & deuouerunt se, dicentes se non manducare neq; bibere, donec occidant Paulum, ἀναθέματι ἀνεθεματίσαμεν. quod si recte trãstulit interpres, anathema erit deuotio. Est autem proprie deuouere, dicere hoc & hoc mali mihi contingat, uel hoc & hoc mali mihi deus faciat, si hoc ego non agam. Aliquando etiam detestari, cum quo magis conuenit anathematizare. Et recordatus Petrus uerbi quod dixerat ei Iesus, priusquam gallus cantet bis, ter me negabis) Nõ dixerat Iesus Petro, priusquam gallus cantet: sed, priusquam gallus uocem dederit. Nimirum oblitus est in

Deuouere.

terpres se trāstulisse uocē dederit, nisi more suo uarietatē sectatus est. Nā græce eodē modo utrūq; dicit ὅτι πρὶν ἀλέκτορα φωνῆσαι δίς.

CAPVT XV.

Milites autem duxerunt in atrium prætorij) Græce est, milites autem abduxerunt intra atrium, siue intra aulam, siue introduxerunt in aulā. Aula enim græce dicitur quoties apud interpretem atrium legimus, quod est prætorium, ἔσω τῆς αὐλῆς ὅ ἐστι πραιτώριον. Et angariauerunt quempiam Simonem Cyrenæum) græce est præsentis temporis, angāriant, ut uerbum superius, & educunt illum, & alterum sequens, & perducunt illum. quendam autem ego potius dixissem, quàm quempiam, καὶ ἀγγαρεύουσι παράγοντά τινα σίμωνα. Vt quid dereliquisti me?) græce est, ad quid dereliquisti me? εἰς τί, quod ideo puto fuisse mutatum à scribentibus, quia in psalmo est, ut quid dereliquisti me? ἵνα τί. Currens autem unus & implens spongiam aceto, circumponénsque calamo potum dabat.) Cum dixerit superius interpres, percutiebant caput eius arundine, sicuti ubique, cur nunc nō dixit arundine, sed græcam uocem reliquit καλάμῳ? Multis in locis facit hoc interpres, ut uocem græcam, quam alibi transfert, alibi non transferat, ut etiam in psalmis: Emittit crystallum suam sicut buccellas, κρύσαλλον. Crystallus

ſtallus græce, glacies eſt latine. Nobilis decurio.) Nunc accipiendum eſt decurio pro municipali ſenatore, quoniam decimus quiſq; in cõſilium reipublicæ admittebatur, εὐχήμωρ βȣλȣτής. Cryſtallus.

FINIS.



IN EVANGELIVM LVCAE ANNOTATIONES LAVRENTIJ VALLENSIS.

CAPVT I.



Icut tradiderũt nobis, qui ab initio ipſi uiderunt, & miniſtri fuerũt ſermonis: uiſum eſt mihi aſſecuto à principio omnibus diligenter ex ordine tibi ſcribere optime Theophile, ut cognoſcas eorũ uerborũ, de quibus eruditus es ueritatem.) Vt dixit interpres uerborũ, λόγων, cur nõ dixit uerbi, λόγȣ potius q̃ ſermonis? cũ poßit referri ad Ieſum qui eſt uerbũ, quẽ nũquã, quod memini, reperio appellatũ ſermonẽ, niſi apud Lactantium, dum græcam uocem transfert. nec tranſtuliſſem aſſecuto, quod idem eſt quod conſecuto: Verbum. Sermo.

ſed perſecuto,ſeu executo,ſiue ſectato, παρηκολουθηκότι,neque à principio,ſed altius, ἄνωθεν, ſiue mihi repetenti altius omnia. Neque eſt græce ueritatem, ſed ut ſic dicam,certitudinem,ἀσφάλειαν. Et uxor illi de filiabus Aaron) Vxor eius legendum eſt,genitiuo non datiuo caſu,αὐτοῦ. Incedẽtes in omnibus mãdatis & iuſtificationibus domini ſine querela.) Maluiſſem uno uerbo dicere ut græce eſt, ἄμεμπτοι, uel innoxij,uel intemerati,uel integri,inſontes,quàm ſine querela, quorum non apertus ſenſus eſt,quod uidelicet nemo de ipſis quereretur, aut nemo eos uituperaret: Cum præſertim reperiam in epiſtola ad Hebræos,& ſi pluribus uerbis,tamen aliter trãslatum. Nam ſi illud prius culpa uacaſſet, non utiq; ſecundi locus inquireretur. Vituperans enim eos,dicit, à culpa enim uacaſſet, idem eſt quod hic nomen ἄμεμπτος. Vituperans quoque dicitur, μεμφόμενος. Vt incenſum poneret) Significantius græce dicitur, θυμιάσαι, hoc eſt thymiamata adoleret, ſiue odores incenderet. Idem eſt enim thymiama apud græcos, quod apud nos incenſum. Si modo uſitatum eſt nomen,& proprium incenſum, ſolemus enim dicere odores. Vt conuertat corda patrum in filios,& incredibiles ad prudentiam iuſtorum, parare domino plebem perfectam.) Neſcio an aucupandæ ueritatis gratia, an per imprudentiam interpres ita faciat,ut partem transferat, partem in græcanica for

Thymiama. Odores.

ma

ma relinquat. Nam græce utrunq; infinitiuum est cõ-uertere, ἐπιστρέψαι, & parare, ἑτοιμάσαι, ut utrunque fuerit conuertendum: aut per coniunctiuum, ut conuertat & paret: aut quod uix latinum est per infinitiuum conuertere & parare: aut quod optimum est per gerundium quo græci carent. Tale est in psalmis, Insidiatur ut rapiat pauperem, rapere dum attrahit eum. Cum esset dicendum, insidiatur ut rapiat pauperem, ut rapiat pauperem: siue insidiatur rapere pauperem, rapere pauperem: uel insidiatur ad rapiendum pauperem, rapiendum pauperem dum attrahit eum, τοῦ ἁρπάσαι πτωχόν, ἁρπάσαι πτωχὸν ἐν τῷ ἑλκύσαι αὐτόν. Quid alia quærimus? nónne paulò post sequitur? Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, & memorari testaměti sui sancti.) Illud, ad faciendã misericordiã, trãsfert ad formã latinã, cũ sit græce infinitiuũ, ποιῆσαι. Illud memorari, ut sic dicã, informe & in græcanitate sua reliquit, μνησθῆναι. Et iterũ e diuerso. Præibis enim ante faciẽ domini parare uias eius ad dandã scientiã salutis plebi eius) Cur nõ ad parandã, sicuti ad dandã, aut dare sicuti parare? ἑτοιμάσαι ὁδοὺς αὐτοῦ, τοῦ δοῦναι γνῶσιν. Atq; iterũ: Illuminare ijs qui in tenebris & in umbra mortis sedẽt, ad dirigendos pedes nostros in uiam pacis) ἐπιφᾶναι, τοῦ κατευθῦναι, memorari pro recordari rarißime reperias nisi forte apud aliquẽ uetustissimũ poẽtã, etiã incredibi Memorari, incredibilis

les pro incredulos perquàm durum est, ἀπαθεῖς.
Et mansit mutus.) græce est surdus, κωφός. Cui nomen Ioseph & Mariam) non Maria, ut superius dixi accentu acuto μαριάμ. Aue gratia plena) nō magis est aue græce quàm salue, χαῖρε, cuius significatio eadē est quæ gaude. nec duo uerba sunt græce plēna gratia, sed unum κεχαριτωμένη. quod si uerbum transferatur è uerbo, diceretur gratificata, quod uidelicet in gratiam recepta est. Vnde Paulus cum alibi tū ad Ephesios: In laudem gloriæ suæ in qua gratificauit nos in dilecto, ἐχαρίτωσεν. Quæ cum audisset, turbata est in sermone eius) melius in quibusdam uetustis codicibus legitur, quæ cum uidisset, ἰδοῦσα, quod à quibusdam, aliorum scripta ad suum sensum trahentibus non correctum, sed corruptum est. Nolo disputare nunc quare sit melius, quæ cū uidisset, quàm quæ cum audisset, ne de fide scripturæ dubitare uidear.
Et dabit illi dominus deus sedem Dauid patris eius) Melius legitur in ijs codicibus, ubi est patris sui. Et regnabit in domo Dauid in æternum) græce est in secula, εἰς τοὺς αἰῶνας. Quomodo fiet istud?) græce est, quomodo erit istud? ἔσαι. Magnificat animā mea dominum) Non magis in magnificat, græce μεγαλύνει, est uerbum facio, quàm in, beatam me dicent μακαριοῦσιν, est uerbum dico: ut perinde dicere liceat, magnum facit pro dicit. ut beatum dicit pro facit reperimus in epistola Iacobi: Et beatificamus eos qui sustinu

χαῖρε

Magnum facere, Magnum dicere.

sustinuerunt, μακαριζομεν. Et in psal. Dominus cõ seruet eum, & uiuificet eum, & beatũ faciet eum, μακαρίσαι. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ) græce est in humilitatẽ, ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν. ut multis alijs in locis fit, uelut in loco illo psalmi: Respexit in orationem humilium. Et magis est inspexit, quàm respexit, ἐπέβλεψεν. Ecce enim ex hoc beatam me dicent) Aduerbium est græce cum articulo, non pronomen, quod modo implet sensum, ut intelligatur ab hoc tempore, ἀπὸ τοῦ νῦν. Melius apud trãslationem quam Ambrosius sequitur, ecce enim à modo. Idem dictum sit de loco posteriori: Ex hoc autem erit filius hominis sedens à dextris uirtutis dei, ἀπὸ τοῦ νῦν.

Et misericordia eius à progenie in progenies.) Non recte dicitur à, quia græce est in, & sanè in quibusdã atq; adeò plerisq; æditionibus legitur, in progenie, quod tamen cum sequenti non congruit, quod diuersi casus in progenie & progenies. Ideóque uetustiores æditiones habent in progenie & progenies. Græce autem est, in progenies progenierum, εἰς γενεὰς γενεῶν. Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ) uerius illi codices, in quibus legitur, memorari misericordiæ suæ. quanquam græce nõ est suæ, ergo nec latine debet esse, μνησθῆναι ἐλέους.

Sicut loquutus est ad patres nostros Abraam & semini eius in secula.) Ego dixissem, apud patres nostros & Abrææ, ut sensus esset apertior. Nam datiui casus

est Abraam. πρὸς τοὺς πατέρας ἡμῶν τῷ ἀβραὰμ, dixissem inquam apud, ut in illo Ioannis, Et uerbum erat apud deum, πρὸς τὸν θεόν. Et in epistola Pauli ad Corinthios: Spero enim me aliquantulum tempus manere apud uos, πρὸς ὑμᾶς. Sicut e diuerso illud in psalmo, Adorabo ad templum sanctum tuum. Est enim ad templum adorare, iuxta templum: apud templum uero, in templo adorare, πρὸς ναόν. Quidam codices habent, usque in secula. hoc parum interest. Illud magis quod legendum est in seculum, non in secula, ἕως αἰῶνος. Quis putas puer iste erit?) est quidem graece neutri generis quid, seu potius quod, sed respondet illi puer quod est neutri generis, παιδίον. Sed nec graece est putas, sed dictio quaedam indeclinabilis, ut ego maluissem transferre, quisnam puer hic erit? τί ἄρα τὸ παιδίον τοῦτο ἔσαι, quod est audacius in Matthaeo: Quis putas maior est in regno coelorum? Non enim erat interrogandus quem maiorem esse putas, sed planè quis maior est, quia in deo nõ est opinio, sed scientia, τίς ἄρα μείζων ἐστί. Quia uisitauit & fecit redemptionem plebis suae) Plebi legendum est, non plebis, siue populo suo. Nam populus significat potius uox graeca, τῷ λαῷ αὐτοῦ. Etenim populus nunc significat tam primores quàm plebem. ut cum dicimus populum Romanum imperasse omnibus gentibus, nunc significat plebem: ut cum dicitur, senatus populusq; Romanus.

Ad, Apud.

Populus.

Romanus. Sicut loquutus est per os sanctorum qui à seculo sunt prophetarum eius.) Dicendum erat prophetarum suorum, in quo nonnunquam decipit interpretem uox græca ἀυτοῦ. In remissionem peccatorum eorum) græce est casus ablatiuus, in remissione, ἐν ἀφέσει. Iusiurandum quod iurauit ad Abraam patrem nostrum daturum se nobis, ut sine timore de manu inimicorum liberati seruiamus illi.) græce abest se, fortassis adiectum ab ijs qui hunc locum exponunt, quod deus dabit se nobis. quæ sententia multum abest à ueritate græca, quod si ita transtulit interpres, debuit ad tollendum dubitationem anteponere se sic, se daturum nobis, quanquam græce non est futurum infinitiuum, τοῦ δοῦναι. In quibus uisitauit nos oriens ex alto.) Oriens substantiuum est, & apud græcos generis fœminini. Significátque ortum solis, siue locum unde sol oritur. Per metaphoram dicitur deus oriens, ut angelus lucifer, ἀνατολὴ. Illuminare ijs qui) illucescere potius ut apparere dicendum fuit. Nam illuminare, tibi sermo insolens est, ἐπιφᾶναι.

CAPVT II.

EXijt edictum à Cæsare Augusto ut describeretur uniuersus orbis, hæc descriptio prima facta est à præside Cyrino. & ibant omnes ut profiterētur singuli in suā ciuitatē.) Licet interpres uariet, tamen idē uerbū est describi & profiteri, ἀπογράφεσθαι.

nec legendum est cum præpositione à, quanquam græce magis præsidente quàm præside. nec legendũ est Cyrino, sed Cyrenio, ἡγεμονεύοντος τῆς συρίας κυρηνίου. Nec minus cõmode accusatiuus græcus nunc trãsferetur per ablatiuum sic: singuli in sua ciuitate.

Profeßio, Descriptio

Erat autẽ hæc descriptio siue profeßio, ne quis ignoret, ut sciretur quantum quisq; haberet in facultatibus. Dicta quidem profeßio eorum qui censebantur: descriptio uero eorum qui censebant respectu. Nam ita inquit Asconius Pedianus: More ueterum censi dicebantur, qui centum millia in profeßionem detulissent, huiusmodi adeò facultates census dicebantur.

Censi, Census.

Et pastores erant in regione eadem uigilantes & custodientes uigilias noctis.) Cũ dicatur uigilãtes, quid attinebat custodiẽtes uigilias? græce nõ est uigilãtes, sed in agro agẽtes: nec custodiẽtes uigilias, sed custodiẽtes custodias, siue excubãtes excubias noctis, ἀγραυλοῦντες καὶ φυλάσσοντες φυλακάς. Et claritas dei circũfulsit illos) nõ magis est græce claritas q̃ gloria, δόξα, quam interpres nonnunquam transfert maiestas: propria autẽ significatio eius est gloria, ut mox cũ dicitur: Gloria in altißimis deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis) δόξα. Si ullo in loco, certe in hoc admiror tantam esse mutationem factam, ut legamus hominibus bonæ uolũtatis, pro in hominibus bona uolũtas, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία: unũ est apud græcos nomen bona uoluntas, quod solet transferri bene placitum.

δόξα.

placitum, quodq; transferri posse placentia Hieronymus ait. Et sanè quid attinebat precari pacem bonis, quasi non habentibus? ergo precabantur angeli pacē super terram, & in omnibus hominibus bonam uolūtatem, & ijs præcipue qui eam non haberent, ut inquit dominus: Nō ueni uocare iustos, sed peccatores. ergo sit bona uoluntas in ijs, quibus non est. Omne masculinum adaperiens uuluam) Mallem hoc in loco interpres ubi de matre dei uirgine loquitur, dixisset uerecundius uterum, μήτραν, quod fortasse est uerius, ut in psal. In te proiectus sum ex utero, μήτρας. Quemadmodum illud Pauli: Reputaui stercora, σκύβαλα, quod nomen transfert Priscianus quisquilias, nec Priscianus modo, uerumetiā Hieronymus in dialogo contra Pelagianos inquiens: Apostolus omnia pro Christo ducit quisquilias, ut inueniatur in Christo, non habens suam iustitiam. Videntes autem cognouerunt de uerbo quod dictum erat illis de puero hoc, & omnes qui audiebāt mirati sunt & de ijs quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos.) Non fuit transferēdum, cognouerūt de uerbo quod dictum erat illis: sed notum fecerunt. Etenim idem uerbum nunc, διεγνώρισαν, quod pauloante: Dominus ostendit nobis, ἐγνώρισεν. Narrauerunt enim pastores ea quæ uiderant & audierant, & ideo admirabantur omnes ista audientes. Nec græce legitur copula, & de ijs quæ dicta erāt à pastoribus, sed sine copula. Et postquàm

impleti sunt dies purgationis eius secundũ legẽ Moysi tulerunt illũ in Hierusalẽ.) Nõ legitur græce, eius, sed eorum, hoc est matris & pueri, αὐτῶν. Et cum inducerent puerum Iesum parentes eius) Abest græce eius, quod si adesset, transferẽdum esset sui nõ eius.

Et tuam ipsius animã pertrãsibit gladius) græce est tui. Sed ratio linguæ latinæ nõ fert, ut dicamus animã tui, quemadmodum in elegantijs tradidi: sed animam tuam, cui illud ipsius tanquam genitiuo applicatur, ut stultissime accipiant, qui exponunt hunc locum referentes ipsius ad Christum, καὶ σοῦ δὲ αὐτῆς τὴν ψυχὴν. Et in signum cui contradicetur) contradicitur legendum est, ἀντιλεγόμενον. Et hæc ipsa hora superueniens.) Cum dicatur, quod nõ decedebat de tẽplo, quomodo nunc superuenit? græce est stans, siue assistens, ἐπιστᾶσα. Puer autem crescebat & confortabatur plenus sapientia, & gratia dei erat cum illo) græce est, Et confortabatur spiritu, & implebatur sapiẽtia, siue augescẽs sapiẽtia. est enim participiũ præsens quo nos caremus, qđ si liceret dicere, diceremus pleescens, καὶ ἐκραταιοῦτο πνεύματι, πληρούμενον σοφίας. Remansit puer Iesus, & non cognouerunt parentes eius.) Superius dicitur parentes eius, nunc autem Ioseph & mater eius. Ideoq; non dicitur non cognouerunt, sed non cognouit Ioseph & mater eius, καὶ οὐκ ἔγνω ἰωσὴφ καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ.

CAP.

CAPVT III.

ET uenit in omnẽ regionẽ Iordanis) ego dixiſſẽ in omnẽ regionem circa Iordanem, εἰς πᾶσαν τὴν περίχωρον τοῦ ἰορδάνου. Et erunt aſpera in directa) græce eſt numeri ſingularis in directam ſiue in rectam, εἰς εὐθείαν. Facite fructus dignos pœnitentiæ) quia græce eſt genitiuus, ideo eum reliquit interpres, quẽ debebat transferre per ablatiuum. Et deſcẽdit ſpiritus ſanctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſum) uelut columba dicendum fuit, non ſicut: quia columba aliqua nunquam in Ieſum deſcendit, ſed ſpiritus ſanctus tunc tanquam columba. Et ipſe Ieſus incipiẽs quaſi annorum XXX.) quaſi non latine dicitur pro ferè, græci pro ſicut, pro uelut, pro tanquam, pro quaſi, pro ferè unum habent, ὡς. Vt putabatur filius Ioſeph, qui fuit Eli) Hoc fuit transferendum, qui fuit filius Eli. & ſi græce nec relatiuum legitur, nec uerbum, ſed articulus, τοῦ ἠλεὶ. Sed ueritus eſt interpres ne ad extremum dicendum eſſet, qui fuit filius dei, cum Adam non ſit filius dei. ſed neſcio an ei uerẽdum fuerit cum dicat ipſe deus ad homines: Dij eſtis & filij excelſi omnes. Hoc qualecunq; eſt nõ prætereundum putaui.

Velut.

ὡς

Adam filius dei.

CAPVT IIII.

ET agebatur à ſpiritu in deſerto diebus quadraginta, & tẽtabatur à diabolo.) Melius legitur in ijs codicibus qui habent in ſpiritu, ἐν πνεύματι.

impleti sunt dies purgationis eius secundū legē Moy si tulerunt illū in Hierusalē.) Nō legitur graece; eius, sed eorum, hoc est matris & pueri, αὐτῶν. Et cum inducerent puerum Iesum parentes eius) Abest graece eius, quod si adesset, transferēdum esset sui nō eius. Et tuam ipsius animā pertrāsibit gladius) graece est tui. Sed ratio linguae latinae nō fert, ut dicamus animā tui, quemadmodum in elegantiis tradidi: sed animam tuam, cui illud ipsius tanquam genitiuo applicatur, ut stultissime accipiant, qui exponunt hunc locum referentes ipsius ad Christum, καὶ σοῦ δὲ αὐτῆς τὴν ψυχήν. Et in signum cui contradicetur) contradicitur legendum est, ἀντιλεγόμενον. Et haec ipsa hora su perueniens.) Cum dicatur, quod nō decedebat de tēplo, quomodo nunc superuenit? graece est stans, siue assistens, ἐπιστᾶσα. Puer autem crescebat & confortabatur plenus sapientia, & gratia dei erat cum illo) graece est, Et confortabatur spiritu, & implebatur sapiētia, siue augescēs sapiētia. est enim participiū praesens quo nos caremus, qđ si liceret dicere, diceremus plecescens, καὶ ἐκραταιοῦτο πνεύματι, πληρούμενον σοφίας. Remansit puer Iesus, & non cognouerunt parentes eius.) Superius dicitur parentes eius, nunc autem Ioseph & mater eius. Ideoq; non dicitur non cognouerunt, sed non cognouit Ioseph & mater eius, καὶ οὐκ ἔγνω ἰωσὴφ καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ.

CAPVT III.

ET uenit in omnẽ regionẽ Iordanis) ego dixiſſẽ in omnẽ regionem circa Iordanem, εἰς πᾶσαν τὴν περίχωρον τοῦ ἰορδάνου. Et erunt aſpera in directa) græce eſt numeri ſingularis in directam ſiue in rectam, εἰς εὐθείαν. Facite fructus dignos pœnitentiæ) quia græce eſt genitiuus, ideo eum reliquit interpres, quẽ debebat transferre per ablatiuum. Et deſcẽdit ſpiritus ſanctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſum) uelut columba dicendum fuit, non ſicut: quia columba aliqua nunquam in Ieſum deſcendit, ſed ſpiritus ſanctus tunc tanquam columba. Et ipſe Ieſus incipiẽs quaſi annorum XXX.) quaſi non latine dicitur pro ferè, græci pro ſicut, pro uelut, pro tanquam, pro quaſi, pro ferè unum habent, ὡς. Vt putabatur filius Ioſeph, qui fuit Eli) Hoc fuit transferendum, qui fuit filius Eli. & ſi græce nec relatiuum legitur, nec uerbum, ſed articulus, τοῦ ἡλεί. Sed ueritus eſt interpres ne ad extremum dicendum eſſet, qui fuit filius dei, cum Adam non ſit filius dei. ſed neſcio an ei uerẽdum fuerit cum dicat ipſe deus ad homines: Dij eſtis & filij excelſi omnes. Hoc qualecunq; eſt nõ prætereundum putaui.

Velut.

ὡς

Adam filius dei.

CAPVT IIII.

ET agebatur à ſpiritu in deſerto diebus quadraginta, & tẽtabatur à diabolo.) Melius legitur in ijs codicibus qui habent in ſpiritu, ἐν πνεύματι.

Nec græce est copula, & tentabatur: sed sine copula participiũ præsentis passiuũ, πειραζόμενος. qđ ideo dico, quia tentatus innuitur quadraginta diebus. Non aũt tot diebus ductus siue actus, nã græce nõ est agebatur, ut dicuntur & agi quasi agitari, sed duci ac potius ductus, ἤγετο. Nã in desertũ quoq; est græce, nõ in deserto, εἰς τὴν ἔρημον. Et si frequenter hic accusatiuus habeat uim ablatiui, ut superius testatus sum. In momento temporis) græci nescio an habeant simile uocabulum nostro momento, quod significat spaciũ breue, ut horæ uel semihoræ, aut paulopost minusue. ut apud Horatium: Quid enim? cõcurritur horæ momẽto. At nunc græce est pũcto, στιγμῇ. Et ipse docebat in synagogis eorum & magnificabatur ab omnibus) græce est, Glorificabatur, quod ego ne adderẽ copulã, quæ græce est, sic transtulissẽ, Et docebat in synagogis eorũ omnibus eũ glorificãtibus. est enim participium passiui præsens, δοξαζόμενος. Dies sabbati) græce est sabbatorũ, τῶν σαββάτων. Dimittere confractos in remissionem prædicare annum domini acceptum & diem retributionis. Et cum plicuisset librum) græce nõ legitur, & diem retributionis. nec attinebat tunc mentionem facere retributionis, sed tantum gratiæ.

Actus. Agi. Momentũ.

CAPVT V.

ET annuerũt socijs, qui erant in alia naui, ut uenirent & adiuuarẽt eos) Ego sic transtulissem, &

& innuerunt socijs qui erant in alia naui, ut uenientes adiuuarent se. καὶ κατένευσαν, τοὺς ἐλθόντας συλλαβέσθαι αὐτοῖς. Vidit publicanum nomine Leui) graece est Leuin. & paulopost: Et fecit ei conuiuiũ magnũ Leui) dicendũ est Leuis, λευὶν, λευίς.

CAPVT VI.

VT cum benedixerint uobis omnes homines: secundum haec enim faciebant prophetis patres eorum) graece non legitur omnes, nec prophetis, sed pseudoprophetis, ψευδοπροφήταις. Causa autẽ est ut opinor cur scriptor deprauauerit codicem, quia pauloante dicitur, secundum haec enim faciebant prophetis patres eorum. Sed ob hoc ipsum minus debuit deprauari scriptura, quia hoc facere ab altero plurimum differt, atq; adeò contrariũ est. Et si mutuum dederitis ijs, à quibus speratis recipere, quae gratia est uobis? nam & peccatores peccatoribus foenerantur ut recipiant aequalia. Veruntamen diligite inimicos uestros & benefacite, & mutuum date, nil inde sperantes) Quia graecum uocabulum anceps est, pro mutuum dare, siue mutuare, & foenerare, quod interpres ait foenerari. Ideo ipse interpres consilij incertus, utroq; modo transtulit, & lectorẽ quid ni ut ipse incertus est incertum reliquit? Cum aliud sit mutuare, quod sine peccato fit, & foenerare quod fit cũ peccato. quae causa fuit ut interpres cum de peccatoribus agitur dixerit foenerantur. Sed haec causa non satis Mutuo, Foenero.

est ad sententiam, seu uocem mutandam. Nam argumentum similitudinis fit à peccatoribus, qui & ipsi gratis mutuãt, tamen inde sperantes uicissitudinem: uos autem gratis quoq; mutuate, sed sine spe uicissitudinis: quod nisi gratificarentur peccatores peccatoribus, non foret argumentum à maiori. δανείζητε, δανείζουσι, δανείζετε. Qui enim æqualia sperant non fœnus expectant, sed gratiæ uicissitudinem: ergo nõ fœnerantur siue fœnerant dicendum erat, sed mutuant.

CAPVT VII.

ET ibant cum illo discipuli eius) Forma græca decipit frequenter interpretẽ, ut dicat eius pro suus siue sui, αὐτοῦ: quale etiam paulopost, Et nunciauerunt Ioanni discipuli eius, pro sui, αὐτοῦ. Pauperes euangelizãtur) & si græce est uoce passiua, tamẽ pro actiua: nam apud illos anceps est, potius accipere rem, transferremq;, euangelizant. Quid existis in desertum? uidere arundinem uẽto moueri?) parum latine dixit moueri pro quæ mouetur, uel potius quæ agitatur, σαλευόμενον. In domibus regum sunt) græce est, in regijs sunt, siue in regnis sunt, ἐν τοῖς βασιλείοις εἰσίν. Et stans retro secus pedes eius lachrymis cœpit rigare pedes eiũs) græce unum magis quàm apud nos uerbum est, dicitur enim: Et stans iuxta pedes eius retro flens cœpit rigare pedes eius lachrymis, ὀπίσω κλαίουσα ἤρξατο βρέχειν τοὺς πόδας αὐτοῦ τοῖς δάκρυσι. Non habentibus illis unde

de redderēt, donauit utrisq;) græcanice dixit utrisq; pro utriq; ἀμφοτέροις. Et si magni quidā autores nonnunquam sic loquuti sunt.

CAPVT VIII.

INterrogabant eum discipuli eius.) Iam admonui dicēdum fuisse, discipuli sui. Aut subtus lectū ponit) subter lectum dicendum erat, quia subtus aduerbium est. Apud græcos aduerbia multa uim habent præpositionum. Quod non cognoscatur, & in palàm ueniat) neq; latine dicitur in palàm, neq; græco respondet, quod est in apertum, εἰς φανερόν. Venerūt autem ad illum mater & fratres eius.) Nimis frequenter fortassis admoneo fuisse dicendum, mater & fratres sui, non eius. Suscitauerunt eum dicētes, præceptor perimus) græce est geminatū, præceptor, præceptor, quod est hominis soliciti & anxij, & quia nō ad primam uocem excitari uoluit Iesus, ἐπιστάτα, ἐπιστάτα. Et nauigarūt ad regionem Gerasenorū) græce est, Gadarenorum, γαδαρηνῶν. Et cum ingressus esset in terram occurrit illi uir quidam qui habebat dæmonium) Desunt duo uerba. Nam sic legendum est: Vir quidam ex ciuitate, siue ex urbe, qui habebat dæmonium, ἐκ τῆς πόλεως. Agebatur à dæmonio in deserto) Melius ubi legitur in deserta, εἰς τὰς ἐρήμους. Filia fides tua te saluam fecit, uade in pace.) Nescio an sit potius dicēdū, uade in pacē, accusatiuus enim græce est, εἰς εἰρήνην. Nolite flere, non

est mortua, sed dormit. & deridebãt, sciẽtes quia mortua esset. Ipse autem tenens manum eius clamauit dicens, puella surge. Et reuersus est spiritus eius, & surrexit continuo. & iussit illi dari manducare. & stupuerunt parẽtes eius, quibus præcepit ne alicui dicerẽt quod factum erat) Cur præcepit parẽtibus puellæ ne cui dicerent quod factum erat, si aderant illi qui deriserant negantem esse puellam mortuam, sed dormientem? aut cur soli parentes obstupuerũt? ergo non aderant alij? Itaq; sciamus ita esse græce, Et deridebant eum, scientes quia mortua esset, ipse autem eiectis foras omnibus, & capta manu illius, uocauit dicens, αὐτὸς δὲ ἐκβαλὼν ἔξω πάντας καὶ κρατήσας τῆς χειρὸς αὐτῆς, ἐφώνησε λέγων.

CAPVT IX.

Nihil tuleritis in uia neq; uirgam, neq; peram, neq; pecuniam, neq; duas tunicas habeatis.) Non est hoc tuleritis à uerbo fero, sed à uerbo tollo: ergo melius in uiam, & græce accusatiuus est, εἰς τὴν ὁδόν. & tuleritis, ut apertius, ita uerius translatum esset, tollatis siue tollite, μηδὲν αἴρετε, neq; duas tunicas dicitur, sed binas, hoc est singuli duas. neq; imperatiuum aut subiũctiuum est habeatis, sed infinitiuũ, μήτε ἀνὰ δύο χιτῶνας ἔχειν. Et in quamcunque domum intraueritis ibi manete, & inde ne exeatis.) Veritas græca habet, & inde exite. quod quia quibusdam uidebatur absurdum, ut iuberentur exire, conuenientiusq;

uientiusq; esse, cum dicatur, ibi manete: ne exirent, addiderũt negationem. Sed dominus præcepit ut ex eadem domo exirent, cum illic ad aliam ciuitatem pergerẽt, in quam à principio introissent ne forte ex alia exirent, καὶ ἐκεῖθεν ἐξέρχεσθε. Et assumptis illis secessit seorsum in locum desertũ, qui est Bethsaide) græce est, in locum desertum urbis quæ uocatur Bethsaida, πόλεως καλουμένης Βηθσαϊδά. Vos autem quem me esse dicitis? Respõdens autem Simon Petrus, Christum dei. At ille increpans illos præcepit ne cui dicerent.) Cur non dixit interpres nunc, minatus illis præcepit, sicut alibi frequenter, cum idem sit uerbum ἐπιτιμήσας? Non enim nunc locus est increpationi tanquam peccassent, sed dehortationi ne peccent. Si quis uult post me uenire abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.) Non est apud hunc euangelistã quotidie. Qui enim uoluerit animam suam saluã facere perdet illã. Nam qui perdiderit animam suam propter me, saluam faciet illam.) nisi accipiat Nam pro autem, nõ respondet translatio græcæ ueritati, in qua dicitur, qui autem, siue quicunq; autem perdiderit animam suam gratia mei, hic saluabit eã siue ipsam, ὃς δ᾽ ἂν ἀπολέσῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἕνεκεν ἐμοῦ, οὗτος σώσει αὐτήν. Moyses & Helias uisi in maiestate, & dicebãt excessum eius quem completurus erat in Hierusalẽ) excessus pro morte accipiendus est, ut apud Ciceronẽ

Excessus pro morte. de legibus: Certe non longe ab ædibus tuis inambulans post excessum suum Romulus Proculo Iulio dixerit se deum esse, & Quirinum uocari. & apud Valerium Maximum: Tui quoque clarissimi excessus Cato Vtica monumentum est, in qua ex fortissimis uulneribus tuis plus gloriæ quàm sanguinis manauit. Quod autem hoc senserit interpres, & si stultum est dubitare, sciamus græcum uocabulum esse illud, quo

ἔξοδος. secundus liber Moysi inscribitur exodus, ἔξοδος, qui dicitur exitus. ut in psalmo: In exitu Israël ex Ae-

Exitus. gypto. qui pro morte accipitur, ut apud Quintilianũ in mathematico: Commendo uobis exitum meum. & apud Plinium ad Cornelium Tacitum: Petis ut tibi exitum auunculi mei scribam. Quid alia exempla: apud ipsum interpretem in epistola Petri: Dabo autẽ operam, & frequẽter habere uos post exitum meum, ἔξοδον. Et reddidit illum patri eius) Patri suo latinum est. Ponite uos in cordibus uestris sermones istos) græce est, ponite uos in aures uestras, siue in auribus uestris sermones istos, siue hos, εἰς τὰ ὦτα ὑμῶν. Et euntes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum ut pararent illi, & non receperunt eum.) Ne quis putet hanc ciuitatem esse Samariam. Nam græce est κώμην, quod est castellum uel uicus. unde dicitur paulopost, Et abierunt in aliud castellum, κώμην. Domine uis, dicimus ut ignis descendat de coelo, & consumat illos? & conuersus increpauit illos)

græce

græce plus est quàm latine. dicitur enim illic: domine uis dicamus ignem descendere de cœlo, & consumere eos, ut & Helias fecit? conuersus aũt increpuit illos, ὡς καὶ ἠλίας ἐποίησε, στραφεὶς δὲ.

CAPVT X.

POst hæc autem designauit dominus Iesus & alios septuagintaduos, & illos misit binos ante faciem suam) & aliquanto post: Reuersi sunt autem septuagintaduo cum gaudio. Vt interpretes illi pentateuchi de Hebraica lingua in græcam, cum essent septuagintaduo ex singulis tribubus Sem, tamen commoditatis in loquendo gratia sunt appellati septuaginta: sicut apud Romanos centumuiri pro centum quinq; ex singulis tribubus, quæ trigintaquinq; erãt, terni. Sic nunc è diuerso pro septuaginta scribitur septuagintaduo, non aliqua ratione, sed uel temeritate uel errore, cum omnes codices græci habeant tantum septuaginta. Nescio an ille qui hoc fecit, uoluerit fuisse è singulis tribubus senos, quæ stultissima ratio est, cum uideamus nequaquam hoc factum in apostolis, qui cum duodecim fuerint, non sunt singuli è singulis tribubus electi. Certe & apostolorum & discipulorum numerum cernimus à domino in libris Moysi præfiguratum per duodecim fontes, & septuaginta palmas in deserto repertas. Ergo septuaginta ut dixi legẽdũ est. Qui fuit etiã unus eorũ, quos deus

Septuaginta interpretes.

Centũuiri.

Discipuli LXX.

spiritu impertiuit qui in Moyse erat, ἑβδομήκοντα. Ita ecce ego mitto uos sicut agnos inter lupos) uelut inter lupos transferendum. Non enim sic dicebat dominus Iesus, Mitto uos sicut mitto agnos inter lupos, sed mitto uos ueluti agni essetis, ὡς. nec inter lupos dicit, sed in medio luporũ, ἐν μέσῳ λύκων. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescat super eũ pax uestra: sin aũt, ad uos reuertetur.) Sin aũt nõ dicẽdũ fuit, sed sin minus, ad uos reuertetur, εἰ δὲ μήγε. In ipsa hora exultauit spiritu sancto et dixit) Nõ est græce sancto, intelligendum est enim suo, sed causa erroris extitit in scriptore, qui pro Iesus, quod est in græco, fecit sancto. Legitur enim græce, In illa autem hora exultauit spiritu Iesus & dixit, τῷ πνεύματι ἰησοῦς. Confitebor tibi pater domine cœli & terræ quod abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Etiã pater, quia sic placuit ante te.) Etiam idem uerbum est quod interpres transtulit superius utiq;, ναὶ, qua uoce græca latini sunt frequentissime usi ut apud Terẽtium: Faciunt næ intelligendo, ut nihil intelligant. Sed ferè ij sunt usi hoc aduerbio, qui non utebantur utiq;, ut Cicero. Omnia mihi tradita sunt à patre meo.) nõnihil nobis deest à ueritate græca, in qua sic legitur: Et cõuersus ad discipulos dixit, omnia mihi, καὶ στραφεὶς πρὸς τοὺς μαθητὰς εἶπεν. Causa huius mẽdæ illinc extitit, qđ paulò post dicitur, Et conuersus ad discipulos suos dixit, quasi superuacuum

Næ.

cuum esset idem bis dicere, uerum non repetitur eadē ad uerbū oratio, sed additur seorsum: sic enim est græce, Et cōuersus ad discipulos seorsum dixit, πρὸς μαθητὰς κατ᾽ ἰδίαν εἶπε. Et quis est meus proximus? Suspiciēs aūt Iesus dixit) melius ij codices qui habēt suscipiens autem Iesus. Hunc locum aliquis in lingua latina sciolus emendandum putauit, qui cum uix aliquid significare suscipiens existimaret, credidit esse uerius suspiciens, quod uidelicet Iesus in cœlum suspexerit. Sed suscipiens nunc traductum est uerbum de uerbo, quod solet dici frequentius excipiens, hoc est, subsequens alium in loquēdo. ut apud Vergiliū: Excipit Ascanius. Ita nunc Iesus excipiens quasi respondens illi, & uerba illius subsequens. Infinita sunt huiusmodi exempla. ut apud Xenophontem: καὶ ὁ κῦρος ὑπολαβὼν εἶπε, id est & Cyrus excipiens, inquit. Idem apud euangelistam uocabulum, ὑπολαβὼν. Martha Martha solicita es, & turbaris erga plurima: porrò unum est necessarium. Maria optimā partem elegit) melius circa frequēs ministeriū, quàm nunc erga plurima, quia erga ad personam refertur, Circa ad omnia: græce autē eadem præpositio est περὶ. neq; græce dicitur optimam, sed bonam partem, adestq; coniunctio sic: Maria autem bonam partem elegit, μαρία δὲ τὴν ἀγαθὴν μερίδα.

Suscipiens.

Erga,
Circa.

CAPVT XI.

Mutuum, cõmodatio

DIxit unus ex discipulis eius ad eum) ex discipulis suis dicendum fuisse iam admonuimus. quidam tamen codices habent suis. Amice, commoda mihi tres panes) mutua mihi tres panes dicendum fuit, quia ut Iurisconsultis placet, ibi mutuum ubi fit de tuo meum, siue de meo tuum: commodatio ubi idẽ corpus redditur, χρῆσον. Quis autem ex uobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? aut piscem, nunquid pro pisce serpẽtem dabit?) Aliter græce habet, dicit enim: Quem autem uestrum, siue ex uobis patrem petet filius panem, nunquid lapidem dabit illi? aut etiam piscem, nunquid pro pisce serpentem dabit ei? τίνα δὲ ὑμῶν τὸν πατέρα αἰτήσει ὁ υἱὸς ἄρτον μὴ λίθον ἐπιδώσει αὐτῷ; εἰ καὶ ἰχθὺν, μὴ ἀντὶ ἰχθύος ὄφιν ἐπιδώσει αὐτῷ. Et erat eijciens dæmonium & illud erat mutum, & cum eiecisset dæmoniũ, loquutus est mutus) græce non est mutum & mutus, sed surdum & surdus, κωφὸν κωφὸς. Si autem & satanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum ipsius?) Et si græce accusatiuus est, tamen ego per ablatiuum potius trãstulissem, In seipso diuisus est. aut per accusatiuum transferendo uerbũ è uerbo super seipsum ἐφ᾽ ἑαυτὸν. Omne regnũ in se diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet) græce est, desolatur & cadit, ἐρημοῦται, πίπτει. Vide ergo ne lumen quod in te est tenebræ sint) græce

est ui-

est uide, siue animaduerte, nunquid lumen quod in te tenebræ est, siue tenebræ sunt, τὸ φῶς τὸ ἐν σοὶ σκότος ἐστίν. Et sicut lucerna fulgoris illuminabit te) Sic reor fuisse transferendum, ut dum lucerna fulgure, siue fulgore illuminet te, ὡς ὅταν ὁ λύχνος τῇ ἀστραπῇ φωτίζει σε. Nõ est enim græce copula. Pharisæus autem cœpit intra se reputãs dicere, quare nõ baptizatus esset ante prandium. Quidam codices habent quare non lauatus esset. græce est, pharisæus aũt uidens admiratus est quod non prius lotus est, siue esset, siue baptizatus est, ὁ δὲ φαρισαῖος ἰδὼν ἐθαύμασεν ὅτι. Nec naturalis sermo est interrogãtis sic, quare non baptizatus esset, sed quare non baptizatus est? Quod autem intus est uestrûm plenum est rapina & iniquitate) quod autem intus est uestri dicendũ fuit, non uestrûm, de ipsis hominibus loquitur dominus, non de eo quod est hominũ. Nã aliud est quod tui est, quàm quod tuum est. Siquidẽ quod tui est, idem est quod ex te, tuũ aũt idem est quod ex tuo. Ita uestri & uestrum. Nam alter genitiuus pluralis significat passiue: ut in medio uestri uel nostri. Alter possessiue siue actiue: ut aliquis uestrum, aut aliquis nostrum. de quo latius in secundo libro de linguæ latinæ elegantia.

Tui, Tuum. Vestri, Vestrum.

Væ uobis pharisæis qui diligitis primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro. Væ uobis qui estis ut monumenta) Non nihil nobis deest è græco, quod hoc est: Væ uobis scribæ & pharisæi hypo-

eritæ, quæ estis ut monumẽta, ὅτι ἐστε ὡς τὰ μνημεῖα τὰ ἄδηλα, καὶ οἱ ἄνθρωποι οἱ περιπατοῦντες ἐπάνω οὐκ οἴδασιν. ὑμῖν γραμματεῖς καὶ φαρισαῖοι ὑποκριταὶ ὅτι ἐστέ. Quia oneratis homines oneribus quæ portari non possunt, & ipsi uno digito uestro non tangitis sarcinas.) Nescio cur interpres unum græcum, φορτία, φορτίοις, duobus nunc latinis transtulit, oneribus & sarcinas, quæ nemo legentium pro eodem accipit. Qui perijt inter altare & ædem) Aedem siue ædes in singulari uix reperitur sine certo nomine alicuius numinis, accipiturq́; pro templo: ut in æde Apollinis, in æde Castoris: nunc græce dicitur planè domus, quod interpres dixit ædem, καὶ τοῦ οἴκου. Cum hæc ad illos diceret, cœperunt pharisæi & legisperiti grauiter insistere, & os eius opprimere.) pro tribus dictionibus nostris Os eius opprimere unum est græcum ἀποστοματίζειν: quod si una dictione transferri posset, diceretur interpellare, siue obstrepere, siue obloqui.

Aedem, Aedes.

CAPVT XII.

Mvltis autem turbis circumstantibus ita ut se inuicem conculcarent) græce est in quibus cũ multa, siue permulta millia turbæ coacta siue congregata essent, ἐν οἷς ἐπισυναχθεισῶν τῶν μυριάδων. Ideo dixi, siue permulta, quod græci habent quod nos non habemus uocabulum, significans decem millia. Cœpit dicere ad discipulos suos) græce est cœpit dicere ad discipulos suos primum, πρῶτον. Attendite à fermento pharisæorum) græce est, attẽdite uobisipsis à fer-

à fermento pharisæorũ?)προσέχετε ἑαυτοῖς. Ita dico uobis hunc timete)non est hoc aduerbiũ Ita comparationis, quo frequẽtissime utimur, sed quo uulgus solet, quod ego nusquam legi, quod sciam Ita affirmationis. ut si à me interrogatus, an ames regẽ, respondeas, ita uel sic, quod ab elegantibus etiam, ut nonnunquam fit ab interprete, sicut ostendi, quod græce dixi Ita.
esse ναὶ: ergo melius nunc dixisset interpres, utique, seu uere seu certe. Omnis quicunq; confessus fuerit me coram hominibus, & filius hominũ confitebitur illũ corã angelis dei)græce est, confitebitur in me, itẽ confitebitur in illo. qui modi loquẽdi q̃d differãt, græci theologi declarãt. quanquã et quidã nostri codices sic habent, ἐν ἐμοὶ ἐν αὐτῷ. Videte & cauete ab omni auaritia, quia non abundantia cuiusquam uita eius est ex ijs quæ possidet) græce non legitur omni, quem locum ego sic trãstulissem, Videte & cauete ab auaritia, quia non in abundando cuiquam uita sibi est è facultatibus suis, ἀπὸ τῆς πλεονεξίας, ὅτι οὐκ ἐν τῷ περισσεύειν τινὶ ἡ ζωὴ αὐτῷ ἐστιν ἐκ τῶν ὑπαρ-
χόντων αὐτῷ. Dixi autem facultates eo modo, quo Facultates.
dixit interpres in epistola ad Corinthios, Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, ὑπάρχοντά μου. Requiesce, comede, bibe, epulare) cum dictum sit comede, bibe, quid attinebat dicere epulare? ego potius transtulissem lætare, quod uerbum omnia uitæ oblectamenta complectitur, ut fit cum alii

bi, tum in psalmo: Et uinum lætificet cor hominis, εὐφραίνοι. nam idem hic uerbum est, εὐφραίνω: idem intellectum uolo de sequenti: Adducite uitulum saginatum & occidite, & manducemus, & epulemur, εὐφρανθῶμεν. & cœperunt omnes epulari, εὐφραίνεσθαι. Sic est qui sibi thesaurizat & non est in deum diues. dixitque ad discipulos suos) deest hoc apud nos: hæc dicens clamabat, qui habet aures ad audiendum audiat, tum sequitur, dixit autem ad discipulos suos, ταῦτα λέγων ἐφώνει, ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω, εἶπε δὲ. Sunt tamen græci codices, quibus hoc abest. Quibus non est cellarium neque

Cellarium. horreum) Cellarium pro cella uinaria solet accipi, quod ad coruos qui potant aquam referri non potest, ideo ego dixissem penarium, seu promptuarium: est tamen idem nomen quod superius transfertur cubiculum, ταμεῖον. Quanto magis uos pluris estis illis?) quanto magis differtis à uolucribus dicitur græce, πόσῳ μᾶλλον ὑμεῖς διαφέρετε τῶν πετεινῶν.

Hoc autem scitote, si sciret paterfamiliâs qua hora fur ueniret uigilaret utique & non sineret perfodi domum suam) ego sic transtulissem, hoc est sic transferendum puto fuisse: hoc autem scite, quod si scisset paterfamiliâs qua hora fur uenit, uigilasset, nec siuisset perfodi domum suam, τοῦτο δὲ γινώσκετε, ὅτι εἰ ᾔδει ὁ οἰκοδεσπότης ποίᾳ ὥρᾳ ὁ κλέπτης ἔρχεται, ἐγρηγόρησεν ἂν καὶ οὐκ ἂν ἀφῆκε διορυγῆναι

ναὶ τὸν οἶκον αὐτοῦ. Quisputas est fidelis dispen sator & prudens?) ego mallem dicere sicuti testatus sum, quisnam est? τίς ἄρα ἐστίν. Ignem ueni mittere in terram, & quid uolo nisi ut accendatur?) græce est, & quid uolo si iam incensum est? εἰ ἤδη ἀνήφθη. Essent enim ex hoc quinque in domo una diuisi) de hoc dixi superius, quod cum dicatur græce, à nunc, Ambrosius utitur à modo, ἀπὸ τοῦ νῦν. Tres in duos & duo in tres diuidentur, pater in filium & filius in patrem suum) græce est, diuidetur pater in filium, & filius in patrem: neque enim est suum. ipsa lectio indicat non debere dici diuidentur, cum dictum sit, essent quinque diuisi, διαμερισθήσεται. Statim dicitis nimbus uenit) magis respondet in uoce, & perinde in sensu hymber quàm nimbus græco, ὄμβρος

CAPVT XIII.

ET si quidem fecerit fructum, sin aũt in futurum succides eam) græce non esse sin autem, sed sin aũt nõ, iã dixi, εἰ δὲ μήγε. Melius alibi per alioquin apud hũc euangelistã, alioquin illo longe agẽte, εἰ δὲ μήγε. Caper sine n uult scribi alioq, ut atqui. Erat aũt docens in synagoga eorũ sabbatis.) Ad qd refert illud, eorũ, cũ certos nõ nominauerit supius, nec una erat synagoga, græce igitur dicitur, Erat enĩ docens in una synagogarũ in sabbatis, ἐν μιᾷ τῶν συναγογῶν ἐν τοῖς σάββασι. Et ecce sunt nouissimi Alioqui.

qui erant primi, & sunt primi qui erant nouissimi.) Cum dixerit dominus, Et uenient ab Oriente, & Occidente & Aquilone, & Austro, & accumbent in regno dei, etiam per futurum dixisset, Et ecce erunt, nō per præsens, ecce sunt. Dixit ergo de ijs qui impræsentiarum erant ultimi & primi, quos futuros etiam dixit primos & ultimos. Nam ita legendum est, & ecce sunt nouissimi, qui erūt primi, ἔσονται, et sunt primi qui erunt nouissimi, ἔσονται. Atq; ita omnis oratio de futuro est.

CAPVT XIIII.

QVia non habent unde retribuere tibi.) Abest à græco unde, & illud habent, accipitur pro possunt: quod ego per possunt transtulissem.

CAPVT XV.

SI perdiderit dragmam unam, nónne accendit lucernam & euertit domum, & quærit diligenter donec inueniat?) Manifestus librarij error qui euertit pro euerrit, id est scopit, scripsit, σαίροι. Et postquàm omnia cōsummasset facta est fames ualida) Hoc uitium & grammaticæ & uerbi improprij nemo uidet. Erat autem sic transferendum. Cum autem is omnia consumpsisset, siue postea uero, quàm is omnia cōsumpsit, siue erogauit, δαπανήσαντος δὲ αὐτοῦ πάντα. Quanti mercēnarij patris mei) & si græci non habent quot, non tamen non possumus transferre per quot illud græcum πόσοι. Melius paulò post, ecce

Euerro.

ecce tot annis seruio tibi, non dixit tantis, τοσαῦτα. sed de hoc dixi in Matthæo. Vidit illum pater ipsius) suus erat melius.

CAPVT XVI.

Redde rationem uillicationis tuæ, iam enim amplius non poteris uillicare) pro uillicatione græce est œconomiæ οἰκονομίας, pro uillicare οἰκονομεῖν, & uillicus œconomus οἰκονόμος. Non fuisse Hieronymum utique qui nouum testamentum ita interpretatus est, uel hinc patet, quod ad Algasiam aliter hunc locum transfert, inquiens: Redde rationem dispensationis tuæ: non enim ultra poteris mea dispensare. ergo commodius uocabulum dispensator quam uillicus. Terentius Varro in lib. de agricultura inquit: Villicus agri colendi causa constitutus, atque appellatus à uilla, quod ab eo in eam conuehuntur fructus, & euehuntur cum ueneunt. Ipse uero Hieronymus ait: Villicus proprie uillæ gubernator est, à uilla nomen uillici accepit. Oeconomus non tantum frugum, sed omnium quæ dominus possidet gubernator est. Vnde œconomicus Xenophontis pulcherrimus liber est, qui non gubernationem, sed uniuersæ domus dispensationem Tullio interpretante significat. Accipe cautionem tuam) γράμμα, accipe literas tuas, γράμμα. Cum græcum sit idem, cur uariauit interpres? Est enim græce literam siue scripturam, non autem cautionem, aut literas, quæ epistolam significant. Ex eo regnum

Hieronymus.

Villicus, Villa.

œconomus.

Oeconomicus Xenophontis.

dei euangelizatur) græce est, ex tunc, siue à tunc, ἀπὸ τότε. quemadmodum in psalmo: Parata sedes tua ex tunc. id ego transtulissem, ex eo tempore. Mortuus est autem & diues, & sepultus in inferno, eleuans aũt oculos suos.) Si erat sepultus in inferno, quî poterat procul uidere Lazarum cum Abraam, aut tollere oculos qui sepulti erant? ergo sciamus in græco esse, Mortuus est autem & diues, sepultusq́;, & in inferno eleuans oculos suos, siue in inferno sublatis oculis suis, ἀπέθανε δὲ καὶ ὁ πλούσιος, καὶ ἐτάφη, καὶ ἐν τῷ ᾅδῃ ἐπάρας τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ. Fili recordare q̃ accepisti bona in uita tua.) Dicẽdũ est, quia accepisti tu bona tua in uita tua, ὅτι ἀπέλαυες σὺ τὰ ἀγαθά σου. Et in his oĩbus inter nos et uos chaos magnum firmatum, ut ij qui uolunt hinc transire ad uos non possint, neq; inde huc transmeare) ego sic trãsferrem: Et super hæc omnia inter uos & nos abruptum magnum, siue hiatus, siue uorago magna firmata est, ut ij qui uolunt transire hinc ad uos, non possint, neq; qui istinc ad nos transfretent. Et in his omnibus, græce dicitur, καὶ ἐπὶ πᾶσι τούτοις. Chaos autẽ græce nõ legitur, sed chasma χάσμα. Inde dicitur ἐκεῖθεν, quod etsi significat, inde aut illinc, tamẽ nũc trãsferendũ fuit istinc: qđ aduerbiũ græci nõ habẽt, & pro eo illinc, siue inde utũtur. Nos uero primæ personæ accõmodamus hinc, secũdæ istinc, tertiæ illinc, siue inde, ut in elegãtijs dixi. Trãsmeare græce est διαπερῶσιν.

Hinc, Istinc, Illinc, Inde.

CAP.

CAPVT XVIII.

QVoniam oportet semper orare & non deficere) ego sic transferrem, oportere semper orare eos & non fatigari, siue nõ succũbere malis, πρὸς τὸ δεῖν πάντοτε προσεύχεσθαι αὐτοὺς καὶ μὴ ἐκκακεῖν. Vindica me de aduersario meo, & nolebat per multum tempus) Græce potius est, & noluit aliquandiu, καὶ οὐκ ἠθέλησεν ἐπὶ χρόνον. Non sum sicut cæteri homines raptores, iniusti, adulteri, uelut etiam hic publicanus) inceperat loqui per sicut, ergo & hic sicut non uelut dicendum erat, sic aut etiam, sicut hic publicanus, nisi sint duæ dictiones uel & ut, ἢ καὶ ὡς οὗτος ὁ τελώνης. Afferebant autem ad illum & infantes ut eos tangeret: quod cum uiderent discipuli increpabant illos. Iesus autem conuocans illos dixit: Sinite pueros uenire ad me, & nolite eos uetare.) Ne quis putaret de apostolis dici, quod eos uocasset Iesus, ego sic unam mutassem dictionem: Iesus autem accitis pueris dixit, προσκαλεσάμενος αὐτά. Est enim & infantes & pueri generis neutri, τὰ βρέφη, τὰ παιδία, ut unam ipse interpres addit, cũ ait: Nunciauerunt hæc omnia illis duodecim, cum nõ legatur græce illis. Quicunq; non acceperit regnum dei sicut puer, non intrabit illud) uelut puer dicendũ erat, hoc est, uelut puer esset. nam sicut puer, intelligitur sicut ut puer accipit. Atqui non pueri utiq; accipiũt regnum, sed qui tanquam pueri sunt. Neq; enim domi

nus dixit, horum, id est puerorum, est regnum dei: sed talium, de quo disserere graeci solent, qui habent haec duo nomina simillima, horum τούτων, & talium τοιούτων.

CAPVT XIX.

QVia inde erat transiturus) illac dicendum erat, & sic graece habet ἐκείνης. Sic dicetis ei, quia dominus operam eius desiderat) αὐτοῦ χρείαν ἔχει. Eadem uerba paulopost aliter transferuntur, Quia dominus eum necessarium habet. Neutro in loco dictum est operam, dicitur enim graece, quia dominus eo opus habet: & hic necessarium eum habet, pro necesse eo habet. Sed potest uideri recte circumloquutus interpres quod ait, Quia dominus operam eius desiderat. Cui simile est illud posterius, Quid adhuc desideramus testimonium? τί ἔτι χρείαν ἔχομεν μαρτυρίας; quod alius transtulisset, quid opus habemus amplius testimonio? uel quid amplius necesse habemus testimonio?

CAPVT XX.

DOcente illo populum in templo & euangelizante, conuenerunt principes sacerdotum & scribae cum senioribus, & aiunt ad illum dicentes) graece est ingruerunt potius quàm conuenerunt ἐπέστησαν. Plebs uniuersa lapidabit nos. Certi enim sunt Ioannem prophetam esse) Hoc certi ad quid refertur? nempe ad plebem. Cur ergo non dixit, certa enim est, ut est graece, et si potius dicitur populus, quàm plebs,

nec

nec tam certus est, quàm persuasus est, hoc est persuasum habet, πεπισμένος γάρ ἐστιν.

CAPVT XXI.

IN patiētia uestra poßidebitis animas uestras) nō est futuri tēporis κτήσασθε, nec tā poßidete nūc significat q̄ obtinere seu adipisci seu potiri. Itaq; dixissem, In patiētia uestra obtinete animas uestras. Cœlū et terra trāsibūt, uerba aūt mea nō transibūt) ut dixi in Marco græce est, Cœlū & terra transibit, παρελεύσεται. Et omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum) Inauditum mihi uerbum est manicare, quo nusquam alibi utitur interpres, & nescio cur non circuiuit, ut fit in psalmo: Deus deus meus ad te de luce uigilo, ὀρθρίζω. Nam idem est hic uerbum ὤρθριζε, quod multis modis dicere licebat, uel mane ueniebat, uel matutinis, uel sub auroram uel diluculo ueniebat. Manicare.

CAPVT XXII.

REges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos) dicendum fuit earum & eas. Decepit autem interpretem genitiuus græcus qui est omnis generis αὐτῶν, & gentium quod est neutri ἐθνῶν. Per quem filius hominis tradetur) græce est traditur παραδίδοται. Expetiuit uos ut cribraret sicut triticum.) Non cribrat satanas triticum, ergo uelut triticū fuit dicendum. Orate ne intretis in tentationem) Videtur dominus iubere discipulos

orare, ut orando non intrẽt in tentationẽ. At ille iubebat hoc ipsum orare, ne intrarent in tentationẽ. Quare ad lucẽ orationis poterat sic transferri: Orate hoc ne intretis in tentationem, προσεύχεσθε μὴ εἰσελθεῖν εἰς πειρασμόν. uel, quo ad uerbum trãsferam, orate non intrare in tentationem. Secus autem paulò post, Orate ne intretis in tentationem. hoc enim non per infinitiuum dicitur, sed per imperatiuũ, προσεύχεσθε ἵνα μὴ εἰσέλθητε εἰς πειρασμόν. quod etiam ut arbitror accipiendum in eandem quam dixi sententiam. Neq; enim dominus nunc diuersa præcipiebat. Nec erat dicendum, ne apostoli omissa oratione dormientes inciderent in tentationẽ, sed ne per secordiã, quia dormiebant, non impetrarent, ne paulò post ad aduentũ Iudæorum, & pastore suo capto, ipsi intrarent in diaboli tentationes: præsertim Petrus quẽ cũ duobus filijs Zebedæi dominus ad locum orationis seuocauerat, & quẽ tentatio abnegãdi domini manebat. Idẽ dico de hoc loco apud alios euãgelistas. Et interuallo facto quasi horæ unius) iam finem facio notandi, quoties pro ferè ponit interpres quasi, ὡσεί.

Si uobis dixero, non creditis mihi: si autem & interrogauero, non respõdebitis mihi, aut dimittetis) græce est, non credideritis, & nõ respõderitis mihi, aut dimiseritis, πιστεύσητε, ἀποκριθῆτέ μοι, ἢ ἀπολύσητε.

CAP.

CAPVT XXIII.

EMendatũ ergo illum dimittam) παιδεύσας. & mox, Corripiam illum & dimittã, παιδεύσας, cum idem utrobiq; sit uerbum græce, utra melior dicetur translatio: prior quidem quia caret copula, posterior autem quia inuitus quis corripi potest, emendari nõ potest. præterea Pilatus hæc loquẽs, de uerberibus sentit, non de uerbis: ergo utrunq; locum ipse trãstulissem sic, Castigatum ergo eum dimittam, siue: cum igitur castigauero eum dimittam. Nam castigare tum uerbis est, tum uerberibus. Et inualescebant uoces eorum, & Pilatus adiudicauit) græce est, & inualescebant uoces eorum, & principum sacerdotum: Pilatus autem, καὶ κατίσχυον αἱ φωναὶ αὐτῶν καὶ τῶν ἀρχιερέων, ὁ δὲ πιλᾶτος. Beatæ steriles, & uentres quæ non genuerunt, & ubera quæ nõ lactauerunt) Quæ nõ lactauerunt generis neutri est, quippe cum referatur ad ubera, quæ non lactauerũt, quæ græce sunt generis masculini, καὶ μασοὶ οἳ οὐκ ἐθήλασαν. Cur non ergo & uentres qui dicitur? Credo interpretem deceptum, quia uentres græce generis est fœminini κοιλίαι. Quia si in uiridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet?) In humido dicendum est potius, quàm in uiridi, & fiat non fiet, ὑγρῷ ξύλῳ ταῦτα ποιοῦσιν, ἐν τῷ ξηρῷ τί γένηται; Ad locum qui uocatur Caluariæ) græce est Caluaria, κρανίον. Ibi crucifixerunt eũ & latrones) καὶ

Corripere, Emẽdare, Castigare.

τοὺς κακούργους. Quid sibi uult hæc uerborũ mutatio, ut nunc dicat latrones, quos paulò ante dixit nequam? Et alij duo nequam, κακοῦργοι, cũ præsertim non sit nunc nomen latronum, sed noxiorum siue sontium, siue facinorosorum. Itidem paulò post, Vnus de ijs dependentibus latronibus, κακούργων. Erat autem populus expectans) spectans siue inspiciens legẽdum est, θεωρῶν. Quod in eadem damnatione es) græce est, quod in eodem iudicio es, ἐν τῷ αὐτῷ κρίματι. Et iterum in condemnatione mortis, εἰς κρίμα. Et posuit eum in monumento) dicendum fuit, & posuit id siue illud. generis neutri est αὐτὸ, sicut illud, & depositum, καὶ καθελὼν αὐτὸ.

CAPVT XXIIII.

VNa autem sabbati) Sabbatorum legẽdum est, τῶν σαββάτων. Portantes quæ parauerant aromata, & inuenerunt lapidem reuolutum) græce est, portantes quæ parauerant aromata, & quædam siue nonnullæ cum eis, inuenerunt autem lapidem, καί τινες σὺν αὐταῖς, εὗρον δὲ. Recordamini qualiter loquutus sit uobis) græce est, et recordamini quod loquutus est uobis, uel ut loquutus est uobis, ὡς ἐλάλησεν. Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos) græce est, stupefecerunt, uel attonitos fecerũt nos, ἐξέστησαν. Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?) Non est græce ita, sed tãtum, & intrare in gloriã suã. Pax uobis, ego

ego sum, nolite timere) græce nõ legitur, ego sum nolite timere. At illi obtulerunt ei partem piscis assi & fauum mellis.) Quid opus est addere mellis, cũ fanus omnis sit mellis? græce est, & ex melleo fauo, καὶ μελισσίου κηρίου, siue ex apiario fauo. Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis) græce aliter legitur: & assumens siue assumpto coram illis comedit, dixit autem eis, καὶ λαβὼν ἐνώπιον αὐτῶν ἔφαγεν. Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent scripturas.) Ad uerbum sic trãsferretur, Tũc aperuit eorum mentem ad intelligendas scripturas, αὐτῶν τὸν νοῦν τοῦ συνιέναι τὰς γραφὰς. Incipiẽtibus ab Hierosolyma) & clarius & uerius esset, Incipiendo ab Hierusalem; ἀρξάμενον ἀπὸ τοῦ ἱερουσαλὴμ. Nam Hierosolyma singulariter non reperitur. Et ipsi adorantes regressi sunt in Hierusalem.) Cur non potius, & cum adorauissent? προσκυνήσαντες.

Hierosolyma.

FINIS.

IN EVANGELIVM IOANNIS ANNOtationes Laurentij Vallensis.

CAPVT I.



N principio erat uerbum, & uerbū erat apud deū, & deus erat uerbū, hoc erat in principio apud deū. Omnia p̄ ipsum facta sunt, et sine ipso factū est nihil, quod factū est.) Sic legūt græci nūc, & aiūt, autore Ioanne Chrysostomo, ut ab hoc loco distinguatur sentētia sequēs, In ipso uita erat. Quod si ita est, frustra disputāt q̄ uolūt nihil accipi pro peccato, siue pro malicia, quod ab altero traditum Hieronymus nō probat, & mihi ineptum in primis uidetur. Illud aūt non indignū est admonitione, non idem uerbum græce esse ut apud nos, factum est, sed duplex ἐγένετο, quod postea trāsfertur fuit, cum dicitur, fuit homo. alterū γέγονε, quod ego trāsferrem extitit, quod uerbum nō iungitur cū participio more uerbi substantiui, significatq; euidenter fuit uel prodijt. ut cū dico: post Socratē Plato extitit præceptor. Fuit homo missus à deo cui nomen erat Ioannes, hic uenit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illū. Non erat ille lux, sed ut testimoniū perhiberet de lumine.)

Nihil pro peccato.

Non

Non potest subaudiri erat potius quàm fuit, quia græce legitur, nomen ei Ioannes, ὄνομα αὐτῷ ἰωάννης. Cæterũ cum nõ reformidet interpres iteratione eiusdẽ nominis, dicẽs: In testimonium ut testimoniũ, quod græce non fit, ἵνα μαρτυρήσῃ, id est ut testificaretur: cur reformidauit dicere de luce, & non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet, siue ut testaretur de luce? ne lectorem addubitare cogeret, ne dicã errare, in luce & lumine, tanq̃ diuersis, quæ uno dicũtur græce uocabulo, τὸ φῶς, περὶ τοῦ φωτός. In mũdo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eũ nõ cognouit. In propria uenit, & sui eum non receperunt. Quotquot aũt receperunt eũ.) Ad quid refertur eũ? certe ad uerbũ: ergo id uel illud dicendũ fuit. Decepit interpretẽ genus masculinum huius ipsius pronominis αὐτὸν, quod refertur ad uerbũ masculini apud illos generis, λόγος. Qui credũt in nomine eius) græce est, in nomen eius, εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ. & iterũ postea: Multi crediderunt in nomine eius, uidẽtes signa eius quæ faciebat, εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ. Neq; hic solum, sed ubiq;. Neque hoc dico ut sentiam cum quibusdam, qui uolunt aliud esse in deum credere, & in deo, uel ob hoc quod semper græci per accusatiuum loquuntur, quem nostri nunc per accusatiuum, nunc per ablatiuum transferunt, utrunque modum apud latinos insuetum, ut nequeas de ipsorum differentia disputare, quod liquet uel ex eo loco, qui non

longe post sequitur: Vt omnis qui credit in ipso non pereat, sed habeat uitam æternam. Sic enim dilexit deus mundum, ut filium unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam. Non enim misit deus filium suum in mundum, ut iudicet mūdum, sed ut saluetur mūdus per ipsum. Qui credit in eum nō iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine unigeniti filij dei. En quatuor loca quorum duo per accusatiuum, totidem per ablatiuum interpres extulit, ut mihi uidetur magis affectate, quàm seuere, cum sint, ut dixi, omnia græce per accusatiuū. Ac ne illud quidē ausim dicere, aliud esse credere deo, & credere in deū, cū uideamus ita scribi in sequētibus, hoc est opus dei ut credatis in eum quem misit ille. dixerunt ergo ei, Quod ergo tu facis signum & credamus tibi? En credamus tibi, id est in te, quod comprobant loca superiora illa: Amen amen dico uobis, qui uerbum meum audit & credit ei qui misit me, habet uitam æternam, & non multo post, Quia quem misit ille, huic uos non creditis, uidelicet in hunc uos non creditis. Quid autē credere deum? idém ne est quod credere deo & in deum? Non quidem idem est, sed in idem recidit. Nam si credam deum esse, aut Iesum eße deum, nimirum ei & in eū credam, quod uel illud eiusdē loci probat: Sed dixi uobis, quia & uidistis me & non creditis. Nempe non creditis me esse filium dei & Christum, quem si Iudæi

Credere deo, & in deum.

Credo deū.

Iudaei credidissent, quid ni satis habuissent, & fideles fuissent. ut in actis apostolorũ Eunuchus: Credo dei filium esse Iesum, id est credo in Iesum dei filiũ. Et iterum postea: Haec illo loquente, multi crediderunt in eum. dicebat ergo Iesus ad eos qui crediderunt ei Iudaeos. Neq; ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri, sed ex deo nati sunt) Potius est geniti sunt, ἐγεννήθησαν. Et uidimus gloriam eius quasi unigeniti à patre.) Nõ implet ueritatem gloriae dictio Quasi, ut dictio uelut, uel tanquam, uel quae maxime graeco respondet, ut ὡς. Quasi enim imitationem significat non ueritatem: ut, Tu ambulas quasi rex, cum dico, regem te non esse significo. At ambulas uelut rex, tanquam rex, ut rex, non utiq; nego te esse regem. ergo non quasi unigeniti dicendum fuit, sed aut uelut, aut tanquam, aut ut unigeniti. Neq; uero unigenitus à patre sic accipiẽdũ est, ut sit à patre genitus: quia graece non est participium unigenitus, μονογενοῦς, quod latine dicitur unici (unicus enim dicitur qui solus patri est filius) siue unigenij, sicut primogenij dicitur. Neq; ea praepositio est, quae uerbis aut participijs passiuis applicari solet, παρά. Ergo sic intelligendum, ac si diceretur: Et uidimus gloriam eius ueluti unigeniti, siue unici, siue unigenij; gloriam à patre, quod uidelicet intelligatur gloria esse à patre. Plenum gratiae et ueritatis) plenũ non ut pleriq; putant accusatiui est casus, sed nominatiui: ut graeca ueritas probat, πλή-

Quasi, Velut, Tanquam, Vt. Vnicus.

ϱκς, hoc est, Verbum caro factū est plenū gratiæ & ueritatis. Est aūt græce generis masculini, ut dixi, uerbū, quod miror non potius fuisse translatū per idē genus, id est per sermo. Nā et hoc uel magis significat ꝙ uerbū, et cōmodius est masculinū genus cū de filio dei et de Christo loquimur, quàm neutrū. Hic erat quē dixi, qui post me uenturus est ante me factus est) quo modo uenturū esse, quē dicit stetisse in medio illorū? Medius aūt uestrū stetit, quem uos nescitis. & iterum apertius: Hic est de quo dixi, post me uenit uir qui ante me factus est. non dixerat uenit, sed uēturus est. Sciamus ergo non solum uenit esse præsentis tēporis ἔϱχεται, sed huius tēporis illud esse participiū græce ἐϱχόμενος. ergo dicendū erat: qui post me ueniens ante me factus. sed filius dei nō fuit factus. Ego, ne mul tis disputem, dixissem, qui ante me genitus est: nam et hoc significat γέγονεν, siue extitit. Est enim extitit penè quod prodijt, differtq; à fuit, quia ut dicimus genitus fuit, aut factus fuit: ita non dicimus, genitus extitit, aut factus extitit: & si hoc genere sermonis plerosq; nunc uideamus utentes. Altera die uidit Ioannes Iesum uenientem ad se.) Non implet ueritatem græcam latinū nomē, altera die, τῇ ἐπαύϱιον, quod transferetur, postera die, siue postridie. Nullus enim dies intercessit inter eum, quo pharisæis & leuitis illa respondit Ioannes, & quo dixit hæc. Idē dico de loco qui paulò post sequitur. Altera die iterū stabat Ioannes

Sermo dei.

Extitit, Fuit.

annes, & ex discipulis eius duo, & respiciens Iesum ambulantē dicit.) Non est graece respiciēs, sed inspiciens, seu potius intuitus, ἐμβλέψας, ut ipse interpres paulò post dixit: Intuitus aũt eũ Iesus dixit, Tu es Simon filius Iona, tu uocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. In crastinũ uoluit exire.) Idē ait nunc in crastinum, quod superius altera die, τῇ ἐπαύριον.

Vbi habitas? dixit eis, uenite & uidete. uenerunt & uiderunt ubi maneret. apud eũ manserũt illo die.) Nescio cur ita delectetur interpres in uarie efferēdo eandem graecam uocem. Cur enim dixit ubi habitas, & non potius ubi manes, cum sequatur: & uiderunt ubi maneret, & apud eum manserunt? Nam graece dicitur ubi manes, ποῦ μένεις, quod & si pro eo quod est ubi habitas, accipi potest, tamen non fuit causa cur dictio mutaretur, ut dixi. Amen amen dico uobis, uidebitis coelum apertum) deest una dictio, ut sit, Amen amen dico uobis, deinceps uidebitis coelum apertum, ἀπ᾽ ἄρτι.

CAPVT III.

Nisi quis natus fuerit denuo, non potest uidere regnum dei. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci cum sit senex? nũquid potest in uentrē matris suae iterato introire, et renasci? Respondit Iesus: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto, non potest introire in regnũ dei. Quod natum est ex carne caro est, & quod

natum est ex spiritu spiritus est) Ego maluissem trãsferre, nisi quis genitus fuerit. & quomodo potest homo gigni. & ita deinceps, non modo quia græcum est genitus & gigni, γεννηθῆ γεννηθῆναι, sed etiã si græce anceps esset significatio; quia cum dicitur nasci, uidetur res tantum ad matrem referri. Cum uero generari, ad utrunq; parentẽ refertur. Spiritus ubi uult spirat.) Cur nõ quò, πῦ. Tu es magister in Israël) Tu es magister Israël, hoc est Israelis, græce dicitur τοῦ ἰσραὴλ.

Nasci, Generari.

CAPVT IIII.

VT ergo cognouit Iesus quia audierunt pharisæi, quia Iesus plures discipulos facit) græce est ut ergo cognouit dominus, ὡς οὖν ἔγνω ὁ κύριος. Si scires donum dei, & quis est qui dixit tibi, da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquã uiuam) De hoc iam dixi in superioribus, interpretẽ nunc addere affirmatiuam dictionem utiq;, nunc dubitatiuam forsitan, quarum neutra ad rem pertinet, quod ex ipsa loci huius inspectione agnoscamus licet. Si hæc mulier sciret donum dei, & quis sibi diceret, da mihi bibere, quid dubij est eam petituram fuisse aquam à deo? aut si hoc dubium sit, illud certe dubium non est, deum fuisse daturum illi aquam uiuam. Nam eadem ratione dicitur græce, dedisset qua petisses. sed interpres facto suo diffidens non repetijt in hoc uerbo forsitan, quod aut repetendum erat, aut superiori

uerbo

uerbo non accommodandum, σὺ ἂν ᾔτησας αὐτὸν, καὶ ἔδωκεν ἄν σοι ὕδωρ ζῶν. Dicit ei mulier, domine, neq; in quo haurias habes.) Latinius fuißet ſine præpoſitione, neq; quo haurias. Ideo autē circuitione eſt uſus interpres, quia non habuit ad manum uocabulum proprium græco reſpondens. & haud ſcio an unum ſit, niſi illud quod Lucretius utitur, hauſtrum. Nam hauritorium parū mihi nitidum uidetur. græce enim dicitur, neq; hauſtrum habes, ἄντλημα.

Hauſtrum.

CAPVT V.

ET qui prior deſcendiſſet in piſcinam poſt motionem aquæ ſanus fiebat) primus eſt græce πρῶτος. Et ita ratio poſtulat ut dicatur, non prior, cum plurimi eſſent languētes. Eſt autem Hieroſolymis ſuper probatica piſcina, quæ cognominatur Betheſda, quinq; porticus habēs) Ego ad tollendā ambiguitatem dixiſſem, Eſt autem ſuper probatica Hieroſolymis piſcina. quoniam piſcina nominatiui caſus eſt, probatica ablatiui, quod ſignificat ouilla, ſiue ut ait Hieronymus pecualis, ἐπὶ προβατικῇ. Si enim crederetis Moyſi, forſitan crederetis & mihi) forſitan ſuperuacuum eſt, εἰ γὰρ ἐπιστεύετε μωσῇ, ἐπιστεύετε ἂν ἐμοί.

Probatica.

CAPVT VI.

ACcepit ergo panes Ieſus, & cū gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus, ſimiliter & de piſcibus quantum uolebant) Vt apud cæteros euangē

listas, ita apud Ioannem res gesta narratur: Iesum de disse panē non turbis, sed discipulis, & discipulos tur bis. sic enim est græce: Accepit autem panes Iesus, & ubi gratias egit, distribuit discipulis, & discipuli di scumbentibus, ἔλαβε δὲ τοὺς ἄρτους ὁ ἰησοῦς, καὶ εὐχαριστήσας διέδωκε τοῖς μαθηταῖς, οἱ δὲ μαθηταὶ τοῖς ἀνακειμένοις. Et impleuerūt duodecim cophinos fragmentorum) græcum genitiuū reliquit interpres. ego dixissem fragmentis. Vt autem sero factum est) ego dixissem serum, ut apud Titum Liuium: Serum erat diei. Nam hoc sero, huius sero uox ab surda est. Et erunt omnes docibiles dei) quidam co dices habent διδακτοὶ θεοῦ, quidam διδακτικοὶ θεοῦ, quorum mihi uidetur uerius esse διδακτοὶ, cum dicatur ad Thessalonicēses: Ipsi enim uos à deo didicistis, αὐτοὶ γὰρ ὑμεῖς θεοδίδακτοί ἐστε. Nam eundē pro phetæ locum à Paulo repetitum opinor, qui à Christo nunc repetitur. Qui locus Pauli & si recte trāsla tus est, tamen ad uerbum sic diceretur: Ipsi enim uos à deo docti estis. ut ad Corinthios: Non in doctis hu manæ sapientiæ uerbis, sed in doctrina spiritussancti διδακτοῖς. Vt de græco autoritatem repetam. Homerus xxij. Odysseæ libro, αὐτοδίδακτος δ' εἰμί, θεὸς δέ μοι ἐν φρεσὶν οἴμους παντίας ἐνέφυσεν. Sed redeo ad docibilem, si forte hic locus legēdus est, διδακτικόν. Atque etiam si ita legendum est in episto la ad Timotheum: Seruum autem domini non oportet

Serum. Sero.

tet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem. Hunc locum transfert interpres docibilē. Docibilis. quid autem per hoc nomen intelligat, indicat è priore ad Timotheum epistola, inquiens, Pudicum, hospitalem, doctorē, διδακτικόν. cum quo non uidetur sentire Cyprianus, qui ait: Docibilis autem ille est qui est addiscendi patientiam lenis & mitis. Ego hoc uocabulum & si Priscianus ad artem refert, quia apud bonos autores nō inueni, quod meminerim, inexpositū relinquo. Certe græcum Hieronymus cū hunc locum super epistola ad Timotheum tractat, ita ait διδακτικόν, qui possit docere, non ut interpretatur latina simplicitas, docibilem. Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro.) Nunc ad uerbum translatio facta est, sentētia autem est, ex hoc tempore, quod ego dixissem, ex eo. Nam ex eo, pro ex eo tēpore rep- Ex eo. peri. Quintilianus: Deniq; ex eo inopiā tibi obijcio, ex quo propter te tuli, ἐκ τούτου.

CAPVT VII.

Dicunt autem ad eum fratres eius) & statim post, neq; enim fratres eius credebāt in eum. Scio superuacuum esse repetere, eius dictum esse pro sui, sed frequentius noto, quod doleo me hoc crebro usu interpretis diu fuisse deceptum. Vos ascendite ad diem festum hunc, ego non ascendo ad diem festum istum, quia meū tempus nondum impletū est. hæc cū dixisset, ipse mansit in Galilæa. Vt autem ascenderūt

fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum non manifeste, sed quasi in occulto.) Cur negauit se Iesus ascensurum ad diem festum, cum esset ascensurus quasi mentiretur? Sciamus igitur graece legi, ego nondum ascendo ad diem festum hunc, ἐγὼ οὔπω ἀναβαίνω.

Et murmur multus de eo erat in turba.) Aut rumor multus trãstulit interpres, aut ideo dixit multus pro multũ, nisi forte culpa librarij est, quia murmur generis est apud graecos masculini, & ex consequenti multus, γογγυσμὸς πολύς. Iam autem die festo mediante) Insolens sanè sermo est, & penè barbariã olens, pro in medio festo, uel circa medium festi, sic dicere die festo mediante: quod ego nunquam nisi è graeco intellexissem, ἤδη δὲ τῆς ἑορτῆς μεσούσης.

Murmur.

Nolite iudicare secundum faciẽ, sed iustum iudicium iudicate) quia uocabulum illud quod significat personam, & potest & solet transferri facies, ideo nunc ne illud significare facies uideatur, transtulissem hoc secundum aspectum, quod etiam magis graeco respondet κατ' ὄψιν. Ego scio eum, & si dixero, quia nescio eũ, ero similis uobis mẽdax, & scio eũ, q̃a ab ipso sum, & ipse me misit. Quaerebant igitur eum apprehẽdere.) Septem graeca exemplaria legi, in quorum singulis ita scriptũ est: ego scio eum quia ab ipso sum, & ille me misit. Quaerebant igitur eum apprehendere. caetera uerba absunt, neq; à graecis exemplaribus tantum, sed etiam à plerisq; latinorum: ergo non hoc loco

loco, sed posterius sunt illa uerba, Et si dixero quia ne scio eum, ero similis uobis mendax, ἐγὼ οἶδα αὐτὸν, ὅτι παρ' αὐτοῦ εἰμι, κἀκεῖνός με ἀπέστειλεν, ἐζήτουν οὖν.

CAPVT VIII.

AVdientes autem, unus post unum exibant, incipientes à senioribus) In plerisq; codicibus græcis legitur, Illi autem cum audissent, & à conscientia reprehēsi exibāt. Illud autem, unus post unum, ausim affirmare à nemine unquam latinorum antea dictum, quod nec ad uerbum græco respondet: quod ego dixissem potius uiritim uel sigillatim, uel separatim singuli, οἱ δὲ ἀκούσαντες καὶ ὑπὸ τῆς συνειδήσεως ἐλεγχόμενοι, ἐξήρχοντο καθεῖς. Si me sciretis, forsitan & patrem meum sciretis.) Iam dixi superuacuum esse illud forsitan, uix deceat deum loqui per dubitationem, καὶ τὸν πατέρα μου ᾔδειτε ἄν. Dicebant ergo ei, tu quis es? Dixit eis Iesus: Principium qui & loquor uobis, multa habeo de uobis loqui et iudicare.) Melius in ijs æditionibus legitur ubi scriptum, quia & loquor uobis, uel etiam quod. Pleriq; autem hunc locum accipiunt, Iesum interrogantibus Iudæis quis esset, respondisse, ego sum principium, ideoq; corruperunt quia in qui. Hos animaduertens Augustinus errare, quia nunc principium non est casus nominatiui, uult per accusatiuum fuisse respōsum, quasi suppleatur, dico me esse principium. Ipse tamē

Vnus post unum.

Principiū.

uiderit quo pacto aut id suppleri possit, aut interrogantibus, quis es, recte respondeatur per accusatiuũ, aut illud quia ad principium accommodari queat. Nõ est ergo accusatiuus, nominatiuúsue, & si uocem eandem habet, sed aduerbium: quemadmodum apud nos primum dum est aduerbium, nullius casus est & principio. ut apud Vergilium: Principio maria ac terras. ergo transferendum fuit, primum, uel iamprimũ, uel principio, quod forte est de uerbis euangelistæ, ut sit, Dixit eis Iesus principio. Ociosum fuerit exempla è græcis uoluminibus repetere, in qbus aduerbialiter positũ reperitur τὴν ἀρχὴν, quod uel mediocriter doctis græce notum est. Et non cognouerunt, quia patrem eius dicebat deum) melius alij codices habẽt, quia patrem, & sine illo deum, ὅτι τὸν πατέρα αὐτοῦ ἔλεγεν. Si filij Abraæ estis, opera Abraæ facite. græce & si particula ἂν deest, tamen ita transferendum fuit, Si filij Abraæ essetis, opera Abraæ faceretis) εἰ τέκνα τοῦ ἀβραάμ εἶτε, τὰ ἔργα τοῦ ἀβραὰμ ποιεῖτε. Rectéque sequitur: Nunc autem quæritis me interficere. quæ sententia aliter nõ haberet locum. Si deus pater uester esset, diligeretis utiq; me) ut superius forsitan, ita hic superuacuum est Vtique. Eadem enim est figura dicendi.

Primum, Principio.

CAP.

CAPVT IX.

MAgister quis peccauit, hic, aut parentes eius ut cæcus nascereturʔ) An parentes eius transferendum erat. Non enim quærunt discipuli, an hic, seu parentes eius peccauerint an non, quasi dubitarent, an aliquis peccasset, sed tanquam pro certo haberent aliquem peccasse, quippe cum dicant, quis peccauitʔ non autem num quis peccauit. Interrogāt, quisnam ille, peccauit ipse ne, an eius parentesʔ Quæ autē sit inter an & aut differentia, alio in opere explicaui, quam differentiam græci non habent. Vade lauare in natatoria siloæ) græce est potius, uade lauare, siue uade lotum in piscinam siloæ, siue siloam, ὕπαγε εἰς τὴν κολυμβήθραν. Nā & si ambiguū est, an dicatur, uade laua, an uade lotum, tamen si foret imperatiuū, addidisset potius copulam, uade & laua. Postremo casus accusatiuus est in piscinam, & si pro ablatiuo, siue more græco pro datiuo accipitur. Probat aūt meā sentētiā illud qđ sequitur: Et dixit mihi, uade ad natatoria Siloæ, & laua. neq; refert qđ illic dicatur in, hic ad, nā græce hic est in, εἰς. Tu qd dicis de eo qui aperuit oculos tuosʔ) qa legēdū est, non qui, aut potius qđ. Nā semibarbarū mihi uidetur dicere: Credo, qa Iesus est filius dei, pro qđ est, ὅτι. Ipsum interrogate, ætatē habet, ipse de se loquatur) de se loquetur legēdū est λαλήσει. Scimus aūt quia peccatores deus nō audit, sed si qs dei cultor est, hūc exaudit) Ludere mihi in re gra

uissima, & quidem frequẽter uidetur interpres. quid enim attinebat nunc transferre per audit & exaudit eandem græcam uocem? οἴδαμεν ὅτι ἁμαρτωλῶν ὁ θεὸς οὐκ ἀκούει, τούτου ἀκούει. Nisi esset hic à deo, non poterat facere quicquam.) Sicut dixit pro erat esset, cur non etiam pro poterat ἠδύνατο posset? quæ sententia multo melior est, ne uideamur nescio quando Iesum potuisse dicere potius quàm non posse. Et certe per subiunctiuum semper hũc græcũ loquendi modum solemus transferre, non per indicatiuum.

CAPVT X.

Mercẽnarius autem fugit, quia mercennarius est, & non pertinet ad eum de ouibus) οὐ μέλει αὐτῷ. Itidem posterius: Non quia de egenis pertinebat ad eum, ἔμελλεν αὐτῷ. Melius in actis Apostolorum: Et nihil horũ Gallioni curæ erat, ἔμελλεν. Ita hic dicendum, Et non est ei curæ de ouibus, & nõ quia de egenis ei curæ erat. Nam aliud esse aliquid curæ esse, siue me aliquid curare, & id ad me pertinere, docet Menedemus ille Terentianus, cum inquit: Tantúm ne ab re tua tibi est ocij, aliena ut cures quæ ad te nihil pertinent. Et fiet unum ouile & unus pastor) potius unus grex, ποίμνη. Nam ouile quod totiens repetitur superius, αὐλὴ dicitur, quod est aula, quod interpres transfert alibi atrium: ergo illud locũ significat, hoc gregem. Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est) hoc uitium è librario, aut è temerario

Curæ esse, Curare, Pertinere.

aliquo

aliquo emendatore uenit: quoniam græce dicitur, pater meus, qui dedit mihi, maior omnibus est, ὁ πατήρ μου ὃς δέδωκέ μοι μείζων πάντων ἐστί.

CAPVT XI.

INfirmitas hæc nõ est ad mortẽ, sed pro gloria dei, ut glorificetur filius dei per eũ) Melius legitur in codicibus qui habẽt per eã, δι' αὐτῆς. Eamus & nos & moriamur cũ eo) melius in nõnullis codicibus legitur, ut moriamur cũ eo, ἵνα. Multi aũt ex Iudæis uenerũt ad Martham et Mariã) græce est, ad eas quæ erãt circa Martham & Mariã, πρὸς τὰς περὶ μάρθαν καὶ μαρίαν.

CAPVT XII.

SInite illam ut in diẽ sepulturæ meæ seruet illud, pauperes enim semper habebitis uobiscum, me autem nõ semper habebitis) quia in numero plurali de pauperibus dicitur ad multos, ideo quidam plurali numero scribunt sinite pro sine, ἄφες. Ad Iudam enim solum loquutus est. neq; legendũ est, ut in diem sepulturæ meæ seruet illud, sed in diẽ sepulturæ meæ, siue tumulationis meæ seruauit illud, εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ ἐνταφιασμοῦ μου τετήρηκεν αὐτό. Nã habetis, nõ habebitis utrobiq; legendũ esse in superioribus admonuimus. Erant autem quidam gẽtiles qui ascenderant ut adorarent in die festo.) Non est nunc uocabulum illud quod proprie significat gentiles, ἐθνικούς, sed quod significat græcos ἕλληνας: quemadmodum superius: Nunquid in dispersionem gentium

iturus est, & docturus gẽtes? ἑλλήνων ἢ ἕλληνας. Helle nes enim græci uocantur, non græci. Aristoteles autẽ in libris de cœlo, tanquam rem parum notã ait olim fuisse uocatos γραικοὺς, id est græcos, qui nunc dicuntur hellenes. Nisi hoc nomine accipimus omnes, qui eiusdẽ cuius græci religionis erant. Et ego si exaltatus fuero à terra omnia traham ad meipsum.) Miror Augustinum, qui nonnunquam solet græca testari ita dicentem: Non aũt dixit omnes, sed omnia, imò si græcam ueritatem consulas, omnes dixit Iesus, nõ omnia, πάντας. Nemo græcorũ aliter unquam legit. Adhuc modicum lumen in uobis est) græce est, adhuc modico tempore, sed per accusatiuũ casum, μικρὸν χρόνον. Quod si accipiatur modicum pro modico tempore, obscura effecta sententia est, quibusdam accipienti bus modicum luminis in uobis est. quæ obscuritas non cadit in illum locũ, Modicum & non uidebitis me, & tamen unum græce est nomen, non duo, μικρὸν. neque uero dicitur, in uobis est, sed uobiscum est, μεθ' ὑμῶν.

CAPVT XIII.

Ante diẽ festũ paschæ sciẽs Iesus, q̃a uenit eius hora) sua hora dicendũ fuit. Nõ enim idẽ nobis licet quod græcis αὐτοῦ. Si nõ lauero te, nõ habebis partẽ mecũ) græce est, non habes, ἔχεις. Cũ hæc dixisset Iesus, turbatus est spiritu, et protestatus est et dixit) græce legitur, testatus est, ἐμαρτύρησε. Ille est cui

cui intinctũ panẽ porrexero: & cũ intinxisset panẽ, dedit Iudæ Simonis Iscariotæ, & post buccellã tunc introiuit in illũ satanas) Iesus ait de pane dando, & panem dedit. Cur postea legimus buccellam, quasi alia res significetur? Sciamus interpretem hoc fecisse, ut semper sui sit similis. Nam græce unum est pro pane & buccella ψωμίον. Nec dicitur dedit, sed dat, δίδωσιν.

CAPVT XIIII.

CReditis in deum, & in me credite) græce non est distincta uox, creditis & credite, sed eadẽ: ut potius transferendũ, Si autem creditis in deũ, & in me creditis: aut credite in deum, & in me credite. Nam si per indicatiuum & imperatiuũ licet hoc efferre πιστεύετε. Quid causæ est cur nõ sic transferamus: Credite in deum, & in me creditis. In domo patris mei mansiones multæ sunt. Si quo minus dixissem uobis, quia uado parare uobis locum) Inepte translatũ, & idcirco inepta sententia. Ad uerbum sic transferretur, Sin autẽ non. Poterat etiam transferri, sin minus, uel alioqui dixissẽ uobis. & hic finitur sentẽtia, post hæc alia sententia incipit: Vado parare uobis locum. Nam illud, quia græce non legitur, εἰ δὲ μὴ εἶπον ἂν ὑμῖν, πορεύομαι ἑτοιμάσαι τόπον ὑμῖν. Melius eadem uerba transtulit postea interpres. Alioqui propter opa ipsa credite, εἰ δὲ μή. Qui uidet me uidet & patrẽ.) Legẽdũ est per præteritũ, qui uidit me

uidit & patrem, ὁ ἑωρακὼς ἐμὲ ἑώρακε τὸν πατέρα. Non creditis mihi, quia ego in patre & pater in me est?) Aliter graece legitur: Credite mihi quia ego, πιστεύετέ μοι. Philippo per interrogationem responsum est: non credis, quia ego in patre, & pater in me est? οὐ πιστεύεις ὅτι. Qui credit in me, opera quae ego facio & ipse faciet, & maiora horum faciet) genitiuum graecum per obliuionem reliquit interpres, cum deberet trāsferre per ablatiuū, quo graeci carent. Spiritum ueritatis, quem mūdus accipere nō potest, quia non uidit eum, nec scit eum.) In praesenti legendum est, quia non uidet eum, ὅτι οὐ θεωρεῖ αὐτόν. Vos autem cognoscitis eum, quia apud uos manebit, & in uobis erit) graece est manet μένει. Et sermonem quem audistis non est meus.) Non possum adduci, ut credam interpretem eò licentiae peruenisse, ut quod in Vergilio uix toleratur, dicente: Vrbem quā statuo uestra est, ipse sibi permitteret dicere. Nam illud in psalmo, quod apud Matthaeum reperitur: Lapidem quem reprobauerunt aedificantes, hic factus est in caput anguli. & non nihil diuersum est, & ita graece legitur, de quo genere sermonis alio in loco disputauimus. Astipulatur opinioni meae quod aliquot uetustos codices legi, in quibus scriptū est sermo, non sermonem, καὶ ὁ λόγος, ut graece habetur. Paracletus autē spiritus sanctus, quem pater mittet in nomine meo, ille uos docebit omnia, & suggeret uobis

omnia

omnia quæcunq; dixero uobis.) Paracletus substanti-
uum est, nec dicitur spiritus paracletus duo substanti- paracletus.
ua, cum præsertim sit neutri generis græce πνεῦμα,
paracletus παράκλητος masculini. Ideoq; ego tran-
stulissẽ, paracletus aũt sanctus spiritus: quasi paracle-
tus autem, id est spiritus sanctus. Est enim paracletus
peculiare nomen spiritus sancti, & si scribi nõ potest
latine, & contra usum nostræ linguæ, in antepenulti-
ma habet accentum, cũ penultima eius sit longa, ut fit
in agapitus & eleison, ἀγάπητος, ἐλέησον. Sug- Agapitus,
geret) uix implet græcũ sensum, ὑπομνήσει, quod est Eleison.
in memoriã rediget, uel subijciet. Neq; dicit, quæcun-
que dixero uobis. Non enim loquuturus est cum apo-
stolis Iesus multa, aduentante obitu, sed quæcunq; di-
xi uobis: nec est quæcunq;, sed quæ, πάντα ἃ εἶπον ὑ-
μῖν. Si amaretis me, gauderetis utiq;, quia uado ad
patrem) ὅτι εἶπον ὑμῖν πορεύομαι. Iam nõ semel
dixi, illud utiq; superuacuum esse.

CAPVT XV.

Omnem palmitem in me non ferentem fructũ, tollet eum: & omnem qui fert fructum purgabit eum ut fructum plus afferat) tollit legendum est, αἴρει, non tollet: & purgat non purgabit, καθαίρει, plus apud græcos generis masculini est, apud nos esse non potest: diceretur enim plurem masculine, ut græce πλείονα. Ergo errauit interpres, nisi forte sic scriptum reliquit, ut scribendum fuit, ut plus fructus affe-

rat, & à librario deprauatũ est. Si quis in me non mãserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet. Et colligent eum, & in ignẽ mittẽt, & ardet.) Ego ita reor fuisse transferẽdum, itaq; transtulissem: Si quis in me non maneat, eiectus est foras ut sarmentum & exaruit, & colligunt ea & in ignem iaciunt, & ardent, ἐὰν μήτις μείνῃ ἐν ἐμοί, ἐβλήθη ἔξω ὡς τὸ κλῆμα, καὶ ἐξηράνθη, καὶ συνάγουσιν αὐτὰ, καὶ εἰς τὸ πῦρ βάλλουσι καὶ καίεται. Hæc loquutus sum uobis, ut gaudium meum in uobis sit) in uobis maneat legendum est, μείνῃ. Quia seruus nescit quid faciat dominus eius) Vt hac tempestate plerique in hoc peccant, ut dicant suus pro eius: ita interpres, quod tamen leuius peccatum est, ait eius pro suus, ut iterum postea: Tristitiam habet, quia uenit hora eius, pro hora sua. & iterum: Dicunt ei discipuli eius, pro sui. & iterum: Iesus autem sciens omnia quæ uentura erant super eum, pro super se. In illo autem: Pontifex ergo interrogauit Iesum de discipulis suis, & de doctrina eius. In neutro peccauit, sed inepte fecit, ut uerba uariaret, cum debuerit non utroq;, sed alterutro pronomine uti. Et iterum: Stabat autem circa crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ. mater sua dicendum fuit. Cum aũt uenerit paracletus, quem ego mittam uobis à patre spiritũ ueritatis, qui à patre procedit, ille testimoniũ perhibebit de me, & uos testimoniũ perhibebitis, quia ab initio

Suus, Eius.

mecū estis) ego trāstulissem spiritus, interpres trāstulit per accusatiuum, quia ambiguum est græce, cum sit neutri generis, πνεῦμα. Perhibetis autem, non perhibebitis legendum est, ut apud nonnullos codices scriptum inuenio, μαρτυρεῖτε.

CAPVT XVI.

ABsq; synagogis facient uos.) Et superius, Vt si quis cōfiteretur Christum, extra synagogā fieret. græce pro absq; synagoga, & extra synagogam, unum uocabulum est, ἀποσυνάγωγος. Quod ego dixissem, synagoga uobis interdicent, & synagoga ei interdictum esset. Ecce uenit hora & iam uenit.) Quis intelligit primum uenit esse præsentis, & secundum præteriti? Ergo dixissem ego: Ecce aduentat hora, id est proxima est aduenicndo, & nunc aduenit, ἰδοὺ ἔρχεται ὥρα καὶ νῦν ἐλήλυθε. In mundo pressuram habebitis) græce est habetis, ἔχετε.

CAPVT XVIII.

HAec cum dixisset Iesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron.) Non Hebraicum nomen proprium torrentis, uel alterius rei uidetur esse Cedron, sed græcum apposito articulo plurali τῶν κέδρων, ut transferendum fuerit, trans torrentem Cedrorū. Adducunt ergò Iesum ad Caipham in prætorium. erat aūt mane, & ipsi non introierunt in prætoriū, ut non cōtaminarētur, sed comeā

derent pascha.) Qui nam adduxerunt Iesum, & non introierunt prætorium? nempe cum alij Iudæi, tũ uero pontifices: nam dicitur, gens tua, & pontifices tui tradiderunt te mihi. & iterum: Cum ergo uidissent eũ pontifices. Nõ ergo legendũ est: adducũt igitur ad Caipham, sed à Caipha, id est à domo Caiphæ, ut græce habetur, ἀπὸ τοῦ καϊάφα. Hoc in loco incassum laborat Augustinus eruere sententiam contra euangelij ueritatem, quem non consuluisse græcum fontem, multo magis mirum, quàm in superioribus fuit, cum præsertim permulti codices latini reperiãtur uenerãdæ uetustatis, in quibus legitur à Caipha. Reddam debitam laudem ijs, qui codices inuenerũt, & si ob mirificum studium literarum antiquarũ uiri laudati sunt, Cyriacus Anconitanus quinq; Mediolani, & alijs circa urbibus, in quibus Augustinus diuersatus est, duos Romæ Ioannes Tiburs prædicatoriæ professionis ad ædem Chrisogoni & saluatoris, quos ego inspexi mirifica & uetusta litera codices, inuenit: ut alios cõplures esse, uerisimile sit.

Augustinus taxatus.

CAPVT XIX.

ET exinde quærebat Pilatus dimittere eum.) Melius hic dicitur exinde quàm supius, ex hoc, cum idem sit uerbum græce ἐκ τούτου. Sed unus militum lancea latus eius aperuit) uidetur interpres deceptus similitudine dictionum, quia aperuit dicitur græce ἤνοιξε: at nunc dicitur ἔνυξε, quod est pupugit, siue

sive, ut quidam loquũtur, punxit: quod conuenit cum illo, Videbũt in quem compunxerunt. Siue latus eius fodit. In loco qui dicitur lithostratus) melius in quibusdam codicibus legitur per o, lithostrotos λιθόστρωτος.

CAPVT XX.

ET sudarium quod fuerat super caput eius non cum linteaminibus positum, sed separatum, inuolutum in unum locum) Interpres quasi idem nobis liceat quod græcis, usus est accusatiuo, quem græce repererat in unũ locum εἰς ἕνα τόπον. Dum ergo fleret inclinauit se, & prospexit in monumẽtum, & cernit, ὡς οὖν ἔκλαιε, παρέκυψεν εἰς τὸ μνημεῖον καὶ θεωρεῖ. Venit Maria Magdalenæ annuncians discipulis, quia uidi dominum, & dixit mihi) græce est, quod uidit dominum, & hæc dixit ei, seu sibi, ὅτι ἑώρακε τὸν κύριον καὶ ταῦτα εἶπεν αὐτῇ, siue quod uidisset dominum, & hæc dixisset sibi. Nisi uidero in manibus eius fixuram clauorũ) melius legitur in quibusdam antiquis codicibus figurã τύπον. Et noli esse incredulus, sed fidelis) quia non poterat interpres dicere, noli esse incredulus, sed credulus, seu noli esse infidelis, sed fidelis: quoniam credulum esse uitio datur. & infidelis is dicitur, qui fidẽ & promissa nõ seruat. ideo ita loquutus est, cũ græce uerba hæc magis inter se consonent, ἄπιστος, ἀλλὰ πιστός, quæ ego potius transtulissẽ, & ne sis incredulus, sed credẽs. Infidelis.

CAPVT XXI.

ET ascenderunt in nauem) deest statim, ut sit: Ascenderunt in nauẽ statim, εὐθὺς. Et illa nocte nihil prendiderũt.) & iterũ: Afferte de piscibus quos prẽdidistis. Alij codices melius habẽt, ceperũt & cepistis. Alij optime, & quidẽ uetustiores, prehẽderũt & prehẽdistis. Hoc etsi nihil ad græcã originẽ pertinet, tamẽ ad ueritatẽ facit euãgelicæ scripturæ, qa nõ puto ab interprete trãslatũ per uocẽ barbarã, prendiderũt, et prẽdidistis. Nũquid pulmẽtariũ habetis?) nõ peius legatur, Nũ quod pulmẽtariũ habetis? μή τι προσφάγιον. Succinxit se tunica) potius palliũ quàm tunicã significat ἐπενδύτην. Simon Ioannis) legendũ est Iona nõ Ioannis, ut in bonis nonnullis codicibus legitur, σίμων ἰωνᾶ. Diligis me plus his? dicit ei: etiam domine, tu scis quia amo te. dicit ei: pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Iona diligis me? etiam domine, tu scis quia amo te. Ait illi: Pasce agnos meos) græce est oues meas. bis enim de ouibus, semel de agnis commendatio fit: neq; idem nunc uerbum est, ποίμαινε τὰ πρόβατά μου, hoc est rege, & ut pastorẽ decet guberna, quod superius βόσκε, quasi pascua præbe, quod iterum in commendandis ouibus repetitur. Dicit ei tertio: Simon Iona amas me? Cõtristatus est Petrus, quia dixit ei tertio: amas me. & ait ei: Domine omnia tu nosti, tu scis quia amo te. Dicit ei: pasce oues meas) βόσκε τὰ πρόβατά μου. Va

rietas

rietas hæc uerborum, diligo & amo non ab interpre- Diligo,
te est, sed è græco: nam diligo redditur illi ἀγαπῶ, Amo,
amo illi φιλῶ: quæ uerba nunc & ferè semper ab ec- Dilectio,
clesiasticis indifferenter accipiuntur tam latine quàm Charitas,
græce, ut ex ipsa loci huius inspectiõe datur intelligi. Amor.
Itidẽ dilectio & charitas, quarũ altera uerbo φιλῶ, altera uerbo ἀγαπῶ, ab interprete redditur, & si nõ nunquam idem ütatur amor, ueteres tamen aliter distinxerunt, & amo & diligo, & item amorẽ & charitatem. Nam dilectione nescio an usi sint. Quo minus probandus est Remigius uir ut illo seculo satis doctus, qui ait inter dilectionẽ & charitatem hoc differentiæ esse, quod dilectio latinũ nomen est, charitas græcũ, cũ charitas nusquã apud græcos reperiatur. Nec aliter à charus fiat, quàm à clarus claritas, à sanus sanitas, à bonus bonitas. Amen amen dico tibi, cum esses iunior, cingebas te, & ambulabas ubi uolebas: cum autem senueris, extendes manus, & alius te cinget & ducet quò non uis.) Cur interpres ait, ambulabas ubi uolebas, & ducet quò non uis? Quin potius, ambulabas quò uolebas. Apud græcos enim duntaxat ecclesiasticos ambiguum est ὅπȣ, tamen apud nos non unum an-
ceps aduerbiũ est, sed duo distincta, ubi & quò. Apud Vbi,
quosdam tamen doctores ecclesiæ lego utrobiq; quò. Quò.
Illud quoq;, cinges te, ego dixissem cinges teipsum, siue teipse, σεαυτὸν. Sic eum uolo manere donec ueniam, quid ad te? tu me sequere. Exiuit ergo sermo inter

fratres, quia discipulus ille non moritur. & non dixit ei Iesus: quia non moritur, sed sic eum uolo manere, donec ueniā, quid ad te?) Hic error nihil minus quàm interpretis est, sed alicuius qui uel scribēdo indiligenter, uel emendādo temerarie unam literam c adiecit, pro si faciens sic, quod græce est ἐὰν. Augustinus ne hic quidem græcam ueritatem consulens sperat se inter falsa uerum inuenire, disputarem quàm absurdū sit dicere sic, quàm è diuerso consentaneum dicere si, nisi & ueritati græcæ nolim hanc contumeliam facere, ut in aperta re disputem. Et quia ab Augustino nihil aduersus hanc græcam scripturam, græcamq́; sententiam disseritur, & omnes ante eū tam latini quàm græci ita exposuere hunc locum. Eo quidem magis, quod non minus apte, ne dicā aptius, transferri queat per subiunctiuum, ut græca coniunctio docet, ut absonum sanè sit & ualde absurdū sic loqui, id est sic trāsferre. dicit ei Iesus: Sic eum uelim, siue sic eum uellem, manere donec ueniam, quid ad te? e diuerso autē concinnum, et communi intellectui accommodatum: si eū uellem, siue si eum uelim, manere donec ueniam, quid ad te? Quo magis eundem Augustinum miror dicentē in libris confeßionū, huius euāgelij principiū penè totū, et alia quædā loca reperiri in libris quibusdā, siue Platonicis, siue Platonicorum. Nam ambigue legitur, è græco in latinum translatis, quos, nescio qui, neque enim ab ipso nominantur, ei ostenderunt. Si enim Platonis

Interpres defensus.

Augustinus notatus.

Platonis sunt libri, locos librorum notare, sin Platonicorum authores, nominare debuerat, ut quanta hominibus esset fides habenda sciremus. Equidem ipse, ut cætera taceam, illos seu Platonicos, seu Platonicorum locos etiam ad literam subiecissem. Nunc in tanta re uel euangelica, uel ad euangelium pertinente, græci fontis ueritate omissa, postulat ut sibi credamus, quam græcæ linguæ periti reperire se negant. Quare ubi de scriptura græca sine authoritate agitur, ibi Augustinus, magnus alioquin author, tamen nō bene sentiens, neutiquam magnæ habendus est authoritatis.

FINIS.

m



LAVRENTII VALLAE ANNOTATIONES in Acta Apostolorum.

CAPVT I.



CYprianus græcum uocabulum hoc πράξεις transfert acta, quod magis usitatum est quàm actus, in hunc sensum, ut acta Cæsaris, acta Pompeij. Lucanus de Cæsare ĩ illius persona loquēs, ait: Licet ingentes abruperit actus. Hieronymus aliquādo actiones, aliquādo etiam acta. Quæ cœpit Iesus facere & docere.) Deest apud nos una cōiunctiua, quæ apud græcos elegāter usurpatur, apud nos minus usitata, illum in modum, ut dicatur, facereq́; & docere, usitatior sic, & facere & docere, ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν. Fuit autem, ut aiunt, Lucas scriptor elegans. Itidem in sequētibus: Eritis mihi testes in Hierusalē, & in omni Iudæa: deest copulatiua, ut sit, Et ĩ Hierusalē, ἔν τε ἱερουσαλὴμ, quod alijs in locis fit, sed minor uidetur res, q̃ ut eius toties fiat mētio. Apparens eis & loquens de regno & cōuescens præcepit eis.) Ex participio apparēs uidetur significari, quod Iesus subinde se subtraheret ab oculis discipulorum, & rursus se offerret, Græce est parti-

participium præsentis passiuũ, quod per participiũ preteriti licet trãsferre, uel per accusatiuum præsentis, sic conspectus eis, uel conspicientibus eis, ὀπτανόμενος. Neq; legere debemus conuescens, sed conuersans, συναυλιζόμενος, siue ut quidam codices habent, una litera exempta, συναλιζόμενος, id est conueniens, siue congregans se, cum eis uidelicet conuersans. Non est uestrum nosse tempora uel momenta.) Græci duo uocabula tempus significantia habent, quibus nunc euangelista utitur, χρόνους καὶ καιροὺς, quorum prius fuit illud: Si in tempore hoc restitues templũ Israël. Sequens illud posterius: Cũ uenerint tempora refrigerij à conspectu dei. Quomodo ergo nunc transfertur momenta? ego certe non sic ausim transferre illud, simile Demosthenis in Olinthiacis, τίνα γὰρ χρόνον ἢ τίνα καιρὸν ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι τοῦ παρόντος βελτίω ζητεῖτε. Videtur tamen apud græcos proprie secundum esse primi species: ut æstas, hyems, nox, dies, ideóque nonnunquam illud prius pro ipso anno capitur, qui in se partes eas habet quas nominaui, forte non potuit transferri melius. Ego tamen hoc quod dixi dissimulare non debui. Hi omnes erant perseuerantes unanimiter in oratione cum mulieribus) deest & obsecratione, ut sit, in oratione & obsecratione, καὶ τῇ δεήσει. Erat autem hominum simul ferè centum uiginti) nominum legendũ est, non hominũ, quod tanquam

χρόνος. καιρός.

error librarij fuißet, ab audacibus correctoribus im mutatum, quasi nominum nihil significaret, hominum autem esset aperta sententia, ὀνομάτων. Ostende quem elegeris ex his duobus) idem hic uerbum ostende ἀνάδειξον. & illic in euangelio Lucæ, Designauit & alios septuaginta, ἀνέδειξεν. Vnde olim dicebantur consules designati. Et annumeratus est XI. apostolis) ego dixissem cooptatus est, ut olim augures, & alij quidam in collegia cooptabantur: nam aliud uerbum est illic: Quia connumeratus erat in nobis, κατηριθμημένος, hic autem est κατεψηφίσθη, id est per suffragia electus, quid ni, ut dixi cooptatus.

Designati Coß.

CAPVT II.

ET cum complerentur dies pentecostes) compleretur legendum est: nam dies numeri est singularis, καὶ ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν. unus enim dies pentecostes, id est quinquagesimus, non plures, neq; à pascha usq; ad quinquaginta dies uocatur pentecoste, sed ultima dies ex quinquaginta. Hæc dixi propter pertinaces, cum satis esse deberet authoritas græca. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditq; super singulos eorum.) Ego ad tollendam ambiguitatē sic transtulissem: Et uisæ sunt dispertitæ illis linguæ tanquam ex igne. Nam cum in alijs, tum in hoc quidam errant, quod putant ignis casus esse nominatiui, & ob id sedisse ignē super capita eorum, cum dicatur de spiritu, quod sederat super eos,

Pentecoste.

καὶ ὤφθησαν αὐτοῖς διαμεριζόμεναι γλῶσσαι ὡσεὶ πυρ. Erant autem linguæ eorum & multifidæ, & uelut igneæ, ad significandam idiomatum, quæ lingue uocantur, uarietatem, nō igneæ linguæ super uertices eorum, ut quidam uolunt. Et cœperunt loqui uarijs linguis) legendum est, alijs linguis, non uarijs, ἑτέραις, quod conuenit cū illo loco Marci: Linguis loquentes nouis: nam nouæ linguæ & aliæ idem sunt.

Et qui inhabitant Mesopotamiam.) Interpretis fuit incuria, qui transferre debebat per primam personam, qui habitamus. cū dicatur superius, & quomodo nos audiuimus linguam nostram, in qua nati sumus. & mox, audiuimus loquentes. quod si per participiū transtulisset habitantes, non errasset, ut habetur græce, κατοικοῦντες. In utroq; horum locorum, quæ in argumentum attuli, legendum est, audimus, non audiuimus, de præsenti loquebantur, non de præterito, ἀκούομεν. Frangentes circa domos panem) κατ' οἶκον poterat transferri circa singulas domos, ut illud, καθ' ἡμέραν, per singulos dies, siue quotidie: fuisset enim sensus apertior. Augebat autem dominus qui salui fierent quotidie in idipsum) græce addebat, nō augebat, deestq; apud nos Ecclesiæ, quod uidelicet dominus addebat istos ecclesiæ, προσετίθει τοὺς σωζομένους καθ' ἡμέραν τῇ ἐκκλησίᾳ.

CAPVT III.

ET exiliẽs ſtetit, & ambulabat cum illis in templum ambulans, & exiliens, & laudãs deum.) In hoc ſecundo legendum eſt ſaliens non exiliens, ſemel enim exilijt cum ſanus factus eſt, poſtea uero identidem ſalijt atq; ſaltauit. graeceq; illud dicitur ἐξαλλόμενος, hoc ἁλλόμενος. Moyſes autẽ dixit, quia prophetam uobis ſuſcitabit dominus deus ueſter de fratribus ueſtris, tanquam meipſum audietis.) Ego trãſtuliſſem eum non ipſum, ad tollendam ambiguitatem, ne legentes coniungerent me, quod eſt caſus accuſatiui, ἐμὲ, & ipſum quod eſt genitiui apud graecos, αὐτοῦ. Praeterea tranſtuliſſem, ſicut, non tanquam: nã graece ambiguum eſt ὡς. qui enim ſuſcitandus erat, non erat futurus tanquam, ſiue uelut, ſiue quaſi, ſed ſicut Moyſes.

Deut. 18.

CAPVT IIII.

COnuenerunt enim uere in ciuitate iſta aduerſus ſanctum puerum tuum Ieſum.) Contumelioſus eſt nunc interpres in Ieſum, quẽ ſeruũ appellat: nã ipſa uox graeca παῖς ſignificat propriẽ puerum, ſed abſolute. nõ enim dicitur puer meus aut tuus, quẽ in ſenſum nunc accipi nequit, cũ praeſertim non fuerit puer tẽpore necis ſuae dominus. Significat etiam filiũ & ſeruum, quarum ſignificationum non reddam nũc cauſam, ſatis ſit earum eſſe inſita exempla. Latini tamen uix unquam appellauere puerum filium, ſed frequẽ

παῖς, Puer.

frequentißime seruum. ergo uidentur apostoli appellare Iesum seruũ dei eodẽ modo quo paulò ante appellauerunt Dauid dicentes: Per os patris nostri Dauid pueri tui, παιδὸς. Melius igitur superius: Deus patrum uestrorũ glorificauit filiũ suũ Iesum, παῖδα. Et iterũ: Vobis primũ deus suscitãs filiũ suũ Iesum, παῖδα. & paulò post: Per nomen sancti filij tui Iesu, παιδὸς, Et da seruis tuis cum omni fiducia loqui uerbum tuum in eo quod manum tuam extẽdas, sanitates & signa & prodigia fieri per nomen sancti filij tui Iesu) dure translatum est, quod ego sic transtulissem: In extendenda manu tua ad sanitatem, & signa, & prodigia faciẽda, ἐν τῷ τὴν χεῖρά σου ἐκτείνειν σε εἰς ἴασιν καὶ σημεῖα καὶ τέρατα. Ioseph qui cognominatus est Barnabas) Legendum est Ioses nõ Ioseph: alter qui uocabatur Barsabas dictus est Ioseph, ἰωσῆς.

CAPVT V.

Cur tentauit satanas cor tuum, mentiri te spiritui sancto, & fraudare de precio agri? nonne manens tibi manebat, & uenundatum in tua erat potestate?) Græce non legitur tentauit, sed impleuit, ἐπλήρωσε. Nescio an interpretis oculos decepit quod græce scriptura horum uerborum nonnihil est similis, in illo certe genus uocis græcæ à nostro differens eum decepit. κτῆμα enim, siue χωρίον generis neutri est, ager uero masculini; ergo dicendum erat

uenundatus non uenundatum, ut est græce πραθὲν.

Ita ut in plateis eijcerent infirmos) Durum est dicere eijcerent infirmos: nec græcæ necessitati respondet, ubi dicitur ἐκφέρειν, id est efferrẽt.

CAPVT VI.

Qvos constituimus super hoc opus.) Ego dixissem, super hanc necessitatem, ad tollẽdam ambiguitatem: nam quoties necessitatem significat, non sic usurpari solet, sed illo modo, non est opus sanis medico. Nunc omnes accipiunt ad hoc ministeriũ, quod græca uox non sentit χρείας. Et Nicolaum aduenã Antiochenũ) ego maluissem uti uoce græca proselytũ, qui de gẽtibus ad circũcisionẽ Hebræorũ uenit: qualis erat Nicolaus, nõ quales dicti sunt superius, Romani aduenæ, ἐπιδημοῦντες, cũ utiq; essent Iudæi, & ille qui dicitur factus aduena in terra Madian πάροικος.

CAPVT VII.

Qvia erit semen tuum accola in terra aliena) nõ recte pro incola posuit accola, quod nomẽ idem quod modo posui πάροικος. Et non dedit illi hæreditatem, nec passum pedis) Nusquam legi passum pedis, ac nec græce quidem sic est, sed uestigiũ pedis, id est, tantum terræ, quãtum est uestigium pedis, βῆμα ποδός. Et descendi liberare eos, nunc ueni, & mittã te) secũdæ personæ est modi imperatiui illud ueni, nõ primæ præteriti tẽporis modi indicatiui δεῦρο, qđ ego ob uitãdã obscuritatẽ trãstulissem, uenito.

CAP.

CAPVT VIII.

MVlti autem eorum qui habebant spiritus immundos clamantes uoce magna exibant) qui nam exibāt? homines ne? at hoc absurdum est. An dæmonia? at hoc non dicitur. Ergo sciamus græce dici, Multorum enim habentiū spiritus immundos, πνεύματα ἀκάθαρτα βοῶντα. Vir autem quidam nomine Simon fuerat in ciuitate magus seducens gētem Samariæ, dicens se aliquem magnum. cui auscultabāt omnes à minimo usque ad maximum dicentes, Hic est uirtus dei quæ uocatur magna. Attendebant autē in eum, propter quod multo tempore magicis suis dementasset eos. Cum uero credidissent Philippo euangelizanti de regno dei, in nomine Iesu Christi baptizabantur uiri ac mulieres. Tunc Simon & ipse credidit. & cum baptizatus fuisset, adhærebat Philippo uidens etiam signa & uirtutes fieri stupens admirabatur) Idem est græce uocabulum pro seducens ἐξιστῶν, quod pro dementasset, ἐξεστακέναι, & pro stupens, admirabatur ἐξίστατο, quo modo sibi tantū permittit interpres, ut idem uerbum tam diuerse transferat, præsertim uno in loco? Est autem hoc uerbum unde dicta est extasis, quam qui habet, latine dicitur mēte captus, qui est maior quidam stupor: qui enim mente captus est, nō dico cum de insano loquimur, sed qualis ille apud Quintilianum, qui ad insperatum amici, subitumq; conspectum dicitur stetisse mente captus.

Extasis. Mente captus.

in maiorem in modum stupefactus est. Ergo quomodo transferendum erat apparet. Illud quoque διὰ τὸ, ego transtulissem propterea quod, non propter quod, si modo est culpa interpretis, quod non opinor, ut in illo magicis suis, quod legendum est magijs. unde Apulei apologia de magia, μαγίας. Adstabant quoque & attendebant. idem est uerbum græce προσεῖχον. nec legitur græce, quæ uocatur magna, sed tantum uirtus dei magna, ἡ δύναμις τοῦ θεοῦ ἡ μεγάλη. Quod si quid momenti habet articulus, non id momenti habet, ut transferatur per uerbum uocatur, quod nonnunquam contemnit interpres: ut in hoc, Euangelizanti de regno dei, cum græce sit euangelizanti, quæ sunt de regno dei, τὰ περὶ τῆς βασιλείας. Ergo per uerbum substantiuum transferri articulus potest, non per uerbum uocatur. Nondum enim in quenquam illorum uenerat) græce non est uenerat, sed ceciderat, siue ut ad uerbum transferam, erat delapsum, siue erat illapsum, ἦν ἐπιπεπτωκός. Surge & uade contra meridianum.) Græce non est meridianum, sed meridiem, & potius uersus quàm contra, ut fuerit transferendum, meridiem uersus. Et ecce uir Aethiops eunuchus potens Candacis reginæ.) Non sic intelligendum quod fuerit potens eunuchus Candacis reginæ, sed quod erat eunuchus, quodq; potens Candacis reginæ. At hũc in modum barbare dicitur aliquis potens reginæ, ergo nõ

proprie

proprie transfert potens, δυνάςης, sed aut prætor, aut præses, aut magistratus, aut præfectus, quale est illud in Luca: Deposuit potentes de sedibus, δυνάςας. Certe qui in sedibus collocantur, non tãtum potentiam, sed etiam dignitatem habere significantur. Hoc ergo uocabulo tum alij quidam, tum uero Cicero utitur, inquiens: Tetrarchæ & dynastæ ob quandam reginam Aethiopum nomine Candacem, de gente illa optime meritam. Ferè sic uocatas illorũ reginas, quidam authores tradunt. Dynastæ. Putasne intelligis quæ legis?) græce potius sic est; nũquid intelligis quæ legis? ἄραγε. Qui ait: Et quomodo possum, nisi aliquis ostenderit mihi?) sic est ad uerbum græce: Ille autem ait, quonam modo possim, nisi quis duxerit me? ὁ δὲ εἶπεν, πῶς ἂν δυναίμην ἐὰν μή τις ὁδηγήσῃ με;

CAPVT IX.

SAule, Saule q̃d me persequeris?) græce est, Saul, Saul: & ratio dictat, q̃a sic Hebraice uocabatur, qua lingua dominus ad eum loquebatur: nam de progenie forsitan regis Saul erat, & ei dominus exprobrabat nomen, quod sic eũ iste persequebatur, ut Saul persequutus fuerat Dauid, unde Christus oriundus: σαοὺλ, σαοὺλ. & ita appellauit eũ postea Ananias, inquiens: Saul frater, σαοὺλ ἀδελφέ. Durũ est tibi contra stimulũ calcitrare. qui tremẽs et stupens dixit, domine quid me uis facere? et dominus ad eũ, Surge.) Non hic, sed inferius legitur, durũ est tibi contra sti-

mulum calcitrare, quod est gentilium quoq; prouerbium. ut apud Teren. Aduersus stimulum calces. Caetera uerba nusquam inueni, sed hoc tantũ, surge &c.

Viri autem qui concomitabantur cum eo.) Nimis inculta oratio, nec planè græco uocabulo respondẽs, συνοδεύοντες, quod dicendum erat, qui cum eo iter faciebant. Apertisq; oculis nihil uidebat) neminẽ uidebat est græce. Ad manum autem trahentes introduxerunt Damascum) Durum est uerbum trahere manibus, quasi inuitum & reluctantem, nec una tantum manu, sed manibus quasi multorum, ego intelligo de una manu Pauli, qua illum ducebant, uel unius ductoris: græce est hoc nomen cum uerbo duco cõpositum χειραγωγοῦντες, ergo transferendum erat, manu autem illum ducentes. Interpres uidetur reformidasse geminationem eiusdem uerbi, quia sequitur introduxerunt. Sed poterat transferri per uerbũ ago, quod etiam græcum est. Non enim tam nunc dicitur duco quàm ago, ut ipsa uox indicat, etiã magis dicendum erat adduxerunt quàm introduxerunt, εἰσήγαγον. Introduci autem is dicitur, non qui periter ducitur, sed qui intromittitur, quasi de ianua uel porta in domum uel urbem. Id quod dixi de traho, etiam hic apparet durũ esse, quod paulò ante dicitur, ut si quos inueniret huius uiæ uiros uinctos perduceret in Hierusalem. Cur non pertraheret, cum sit idem uerbum ἀγάγῃ. Melius igitur longe post, ubi hæc eadem res gesta

Introduci.

gesta narratur. Ad manum deductus à comitibus ueni Damascum, χειραγωγούμενος. Ecclesia quidẽ per totam Iudæam, & Galilæam, & Samariam habebat pacem, & ædificabatur ambulans, &c.) Plerique codices habent, ecclesiæ habebant pacem, & ædificabantur ambulantes. & item in sequente numero plurali, αἱ μὲν ἐκκλησίαι εἶχον οἰκοδομούμεναι καὶ πορευόμεναι. Factum est autẽ cum transiret per fines illos uniuersos) Melius in his libris legitur, ubi abest, fines illos, de hominibus enim euãgelista loquitur, non de finibus, διὰ πάντων. Quæ interpretata dicitur Dorcas.) Cur græcum nomen posuit, nõ latinum? Lucas græce loquens, dixit tabitha, quod est Hebraicum, transferri uidelicet in græcum dorcas, quod latine dicitur caprea, δορκάς. Nisi forte sic est hic factum, ut in illo: Simonem qui cognominatur Petrus. cum Petrus sit græcum nomen, non à Christo impositum, sed Cephas: forsitan Petrus dici latinum potest, sicut & petra, etsi à græco deducta sint. Vestes quas faciebat illis Dorcas) græce est, quas faciebat dũ erat cum illis Dorcas, μετ' αὐτῶν οὖσα. Et multi crediderunt in domino) græce est, in dominum, ἐπὶ τὸν κύριον. ut appareat nihil interesse apud interpretem inter credere in deo, & credere in deum.

Petrus.
Petra.

CAPVT X.

Corneli. At ille intuens timore correptus dixit: Quis es domine? Dixit autẽ illi, orationes

tuæ & eleemosynæ ascenderunt) Græce non est, quis es? sed quid est? quod angeli responsio declarat τί ἐστι. *Centurio cohortis, quæ dicitur* Italica) *melius græce, ex coborte. non enim dicitur centurio cohortis, quæ constat ferè ex mille militibus, sed tribunus: nec tribunus legionis, sed legatus, nec legatus exercitus, sed imperator. Legatus autem dicitur legionis, et tribunus cohortis; quia toti illi præest: ut imperator exercitus, & item in cæteris.* Cicero vi. de Rep. *Cũ in* Africam *uenissem tribunus ad quartam legionem, ut scitis, militũ,* ἐκ σπείρης. *Quæ deus purificauit tu ne cõmune dixeris.)* Incuria interpretis, pro pluvali ponere singularem, ob id decepti, quia græce nullus casus est, sed ut sic dicam, ne communices, id est, ne communia putaueris, μὴ κοίνου. *Idem dico de sequenti loco, ubi idem à* Petro *refertur. Hoc autem factũ est per ter)* Obsoleta uox, nec latina per ter, quia græce ἐπὶ τρεῖς. *Vos scitis quomodo abominatum sit uiro* Iudæo *coniungere, aut accedere ad alienigenã) græce est, nephas potius quàm abominatum, & ut potius quàm quomodo, & adhærere potius quàm coniũgere,* ὡς ἀθέμιτόν κολλᾶσθαι ἢ προσέρχεσθαι.

A nudiusquarta die usq; ad horam hãc orãs eram hora nona in domo mea.) Et *barbara translatio, & à librarijs corrupta, uidetur iam quatuor diebus perstitisse in oratione* Cornelius, *quod fieri non potest. ego sic transtulissem, quantum ad prima uerba pertinet,*

Cohors.

Legatus legionis.

Tribunus cohortis.

Imperator exercitus.

bet, nam cætera reddam pristinæ trãslationi: Nudius quartus, uel quarto ab hinc die usq; ad hãc horã erã ieiunans, & nona hora orans in domo mea, ἀπὸ τετάρτης ἡμέρας μέχρι ταύτης τῆς ὥρας ἤμην νηστεύων, καὶ τὴν ἐννάτην ὥραν προσευχόμενος. Et ecce uir stetit ante me in ueste candida, & ait: Corneli exaudita est oratio tua, et eleemosynæ tuæ cõmemoratæ sunt in conspectu dei.) Non est græce candida, sed clara, λαμπρᾷ. Commemoratæ pro narratæ ferè accipi solet, at hic significat pro in memoria habitæ sunt, ἐμνήσθησαν. Accersi Simonẽ qui cognominatur Petrus) Accerse dicẽdũ fuit et hic & superius, & posterius: tertiæ enim est, non quartæ coniugationis. decepit autem interpretem, si tamen eius culpa est, quod sic dicitur ab hoc uerbo accersitus, ut ab accio accitus, quanquam posterius reperio accersiam, & accersiẽs, tanquam putet interpres dici accersio, non accerso. Annuncians pacem per Iesum Christum) græce euangelizans, εὐαγγελιζόμενος, ut posterius quoq;. Loquebantur ad græcos nunciantes dominum Iesum, εὐαγγελίζοντες, & alijs nonnullis in locis.

Commemoratus.
Accersere.
Accersitus.

CAPVT XII.

ERat autem iratus Tyrijs & Sidonijs) græce est, irate, seu acerbe pugnans, seu impugnans, θυμομαχῶν.

CAPVT XIII.

Paulus, Saulus.

Saulus autem qui & Paulus repletus spiritu sancto, intuens in eũ dixit) Ridiculi qui aiunt Paulum fuisse binominem, cum Lucas eum nũquam antea Paulum, nec unquam postea Saulum uocet, ut palàm sit nomẽ una litera fuisse mutatum, & ut ex historiæ sensu datur intelligi immutatũ in Cypro, & ob Paulum Cypri proconsulem, ut recte dicere uidetur Hieronymus, & in carmine Damasus. Nam Augustinus penè magis ridicule quàm superiores, qui Paulũ uult esse dictum à paulum aduerbio, quod de Romanis, qui Pauli dicebantur affirmare ineptum sit, nedũ de homine græco. Græcus enim Paulus fuit, & græce loquutus, & ab homine græco, id est à Luca id dicatur, ut taceam de Cypro & ipsa græca. Præterea inerudi ti fuit dicere id nomen ab aduerbio paulum fieri, cum ipsum aduerbium fiat à nomine paulum: ut paulũ pecuniæ. unde Terentius in Andria: Cum animus in dubio est, paulo momento huc uel illuc impellitur. Et apud ueteres paulus, paula, paulũ. Et quærebat qui ei manum darent) græce est, & quærebat manuductores, id est qui manuducerent, χειραγωγούς. Sequuti sunt multi Iudæorũ & colẽtium aduenarum.) Cur non dixit religiosorum potius quàm colentium σεβομένων, ut fecit posterius. Iudæi autem concitauerunt religiosas mulieres & honestas, σεβομένας, et proselytorum quàm aduenarum, ut aliquoties facit προσηλύτων.

Augustinus taxatus.

Paulum.

Paulus, paula, um.

προσηλύτων. Et indignos uos iudicastis æternæ uitæ) quia græce genitiuus casus est, oblitus est interpres in ablatiuum mutare, quem illi non habent. Indignus enim uita, non uitæ dicitur.

CAPVT XIIII.

BArnabas & Paulus cõscissis tunicis suis exilierũt in turbas) insilierũt est legendũ, εἰσεπήδησαν. Et nos mortales sumus similes uobis homines) optime quidem translatum, tamẽ græca sententia hæc est, & nos similes uobis patibiles homines, ὁμοιοπαθεῖς ἐσμὲν ὑμῖν ἄνθρωποι. Qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi in uias suas) Legendum est in uijs suis. Accipitur enim nunc ingredi pro ambulare, non pro intrare. superuacuum est afferre exempla huius uocabuli, quod dum dicitur ingredior in uiam, significat introeo: dum dicitur ingredior in uia, significat ambulo, satis sit quod ita se habet græce, ἐν ταῖς ὁδοῖς. Etiam melius diceretur permisit quàm dimisit, εἴασε.

Ingredi.

CAPVT XV.

FActa ergo seditione non modica Paulo & Barnabæ aduersus illos) deest & quæstione, ut sit, facta ergo seditione & quæstione. Paulus enim & Barnabas quærebant & disputabant, non seditionem faciebant, στάσεως καὶ συζητήσεως. Statuerunt ut Paulus & Barnabas ascenderent, & quidam alij ex alijs ad apostolos & presbyteros in Hierusalem su-

per hac quæstione) Et alij ex eis, legendum est ἐξ αὐτῶν. Illi ergo deducti ab ecclesia transierunt Phœnicem & Samariam narrantes conuersationem gentium, & faciebant gaudium magnum omnibus fratribus. Cum autem uenissent Hierosolymã suscepti sunt ab ecclesia & senioribus) & paulò post: Conuenerũt autem apostoli & seniores uidere de uerbo hoc. & aliquanto post: Tunc placuit apostolis & senioribus cum omni ecclesia. & mox: Apostoli & seniores fratres ijs qui sunt Antiochiæ, & Syriæ & Ciliciæ fratribus ex gentibus salutem.) Et alijs etiam in locis, quoniam græcum uocabulum πρεσβύτερος, factum erat latinum, cur nunc trãsfert illud interpres, nunc nõ trãsfert, præsertim in eadẽ re? Nã quos nuncupauerat presbyteros, eosdẽ postea nũcupauit seniores. Transfertur quidẽ presbyter, latine senior. Sed aliud intelligo, cum dicitur presbyter, aliud cum dicitur senior, quare ut apostolus quod græcum est, nunq̃ trãsfertur latine, sic presbyter quoq; in ijs locis, ubi dignitas quædã significatur, nõ est, ut cẽseo, trãsferendũ: ergo hic dicendum fuit ab ecclesia et presbyteris. Et conuenerunt apostoli & presbyteri. Et placuit apostolis & presbyteris, & apostoli & presbyteri. Itẽ lõge post ubi dicitur, à Mileto aũt mittẽs Ephesũ uocauit maiores natu ecclesiæ, idẽ est latine, Maiores natu, seu seniores accersunt: & si ab initio, quia seniores, seu maiores natu eligãtur, sunt dicti presbyteri, sed

Presbyter, Senior. Apostolus.

sed eos qui erant constituti ad alios regendos, quales ij erant, de quibus ad Titum scribit: Vt constituas per ciuitates presbyteros. non dixit seniores, aut maiores natu. Adeò autem erant dicendi presbyteri, & nõ seniores, ut ijdem essent presbyteri qui episcopi, cum sequatur statim: Attendite uobis & uniuerso gregi, in quo uos spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam dei. De hoc quod ijdem fuerũt presbyteri qui episcopi, nõ est pluribus agẽdũ, quod ab Hieronymo super epistola ad Titum probatur. Quare epistolã quoq; Petri in eo loco: Seniores igitur qui in uobis sunt obsecro consenior. puto fuisse transferendã, presbyteros qui in uobis sunt obsecro compresbyter. Itẽ epistolas Ioannis, quæ incipiunt: Senior electæ dominæ, & senior Caio charissimo. Cuius rei iudex est Hieronymus ad Euandrum scribens, qui has epistolas incipere facit presbyter. Illud omitto quod græce nõ dicitur Syriæ & Ciliciæ, quod grammaticæ repugnat, sed apud, siue circa Antiochiam, & Syriam, & Ciliciam, κατὰ τὴν ἀντιόχειαν, καὶ συρίαν, καὶ κιλικίαν. Et Hierusalem, non Hierosolymam. Episcopi.

Respondit Iacobus, dicens: Viri fratres audite me, Simon narrauit) Græce non est Simon, sed Symeon. De Petro enim Iacobus loquebatur. Ergo ut Paulus græce uocabatur Saulus, hebraice Saul: ita forte Petrus, græce Simon, hebraice Symeon, שִׁמְעוֹן, quod confirmat ipsius epistola altera, quæ Paulus, Saulus.

incipit Symeon Petrus. Sic enim græce habet συμεὼν πέτρος. Barnabas autem uolebat secum assumere & Ioannem, qui cognominatur Marcus) græce est consulebat ut unà assumeret & Ioannem, ἐβουλεύσατο συμπαραλαβεῖν καὶ τὸν ἰωάννην.

Simon, Symeon.

CAPVT XVI.

ET ecce discipulus quidam erat ibi nomine Timotheus filius mulieris uiduæ patre gentili) ego dixissem, patris autẽ græci, πατρὸς δὲ ἕλληνος. Sic enim semper interpres superius transtulit hoc nomen. Egressi sumus foras portam) extra non foras dicendum erat, ut neq; in psalmis, subtus pedes meos, pro subter. Sunt enim aduerbia subtus & foras quæ non seruiunt casibus, ut apud græcos fit, quæ res fortasse decepit interpretem ἔξω ὑποκάτω. Custodire dogmata quæ erant decreta ab apostolis & senioribus) Dogma græcum est, quod latine decretum. Sed ne diceretur decreta, quæ erant decreta, ideo interpres usus est græco nomine δόγματα, quanquã græce dicitur, & quæ erant iudicata, τὰ κεκριμένα. Et dogma solet transferri non solum decretum, ut postea dicitur. Et hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt, ἀπέναντι τῶν δογμάτων. Sed etiam edictũ, ut in euangelio Lucæ: Exijt edictum à Cæsare Augusto, δόγμα. Factum est autem euntibus nobis ad orationem, puellam quandam habentem phytonem) græce nõ ætas mulieris significatur, sed cõditio quod

Subtus, Foras.

Dogma.

erat

erat ancilla, id est pedissequa, παιδίσκη. Nec phytonem legẽdum est, sed spiritum Pythonis, πνεῦμα πύθωνος. Petitoq; lumine introgressus est.) Nõ parũ ad gratiam & ueritatem narrationis facit uerbum insilijt, ut graece est, potius quàm introgressus est, εἰσεπήδησε.

CAPVT XVII.

DE colentibus gẽtilibusq; multitudo magna) Colentibus ponit interpres pro religiosis, σεβομένων. Et gentilibus pro graecis, ἑλλήνων. Timet appellare interpres graecos huiusmodi hoĩes, & haud dubie frequẽtissime accipiũtur per hoc nomen hi oẽs, qui cum graecis in religione sentiebant, unde ad Romanos scribens, quotiens graecos nominat, Romanos quoq; sub eo nomine intelligit, quae ambae nationes inter gentes ab Hebraeis numerabantur. Sed tamen aliter graece gens, aliter graecus nominatur. graeci autẽ ipsi à sese Hellenes uocabantur, à Latinis Graeci dicti, ut olim à semet ipsi dicebãtur, sicut lingua latina semper à graecis Romana appellatur. Media autem nocte Paulus & Silas adorantes laudabant dominum, & hymnum dicebant) graece est, orantes non adorantes. qui haud scio an adorare possent, quorum pedes adstricti erant ligno. Est autem adorare, corpus incuruare in honorem alicuius. nec legitur, Laudabant dominum, & hymnum dicebant: sed tantum, dicebant deo: προσευχόμενοι ὕμνουν τὸν θεόν. Vt quàm ce

Graeci. Gentes. Hellenes. Romana lingua. Adorare.

leriter uenirent ad eum.) Nec latinæ nec græcæ elegantiæ, ne dicam etiam græcæ ueritati respõdet, quoniam dicendum erat, quàm celerrime, τάχιστα. Illud autem magis ad græcam ueritatem, quàm ad latinam rationem dicit. Hi autem erant nobiliores eorum) quale est illud etiam apud Paulum: Maior horum est charitas. cum latine de pluribus, quàm duobus dicatur nobilissimus & maximus: ut in alio opere disseruimus. Ne illud quidem satis latine dicitur.

Athenienses autem omnes, & aduenæ, hospites, ad nihil aliud uacabant, nisi aut dicere aut audire aliquid noui) quod ego transtulissem, nisi aut ad dicendum, aut ad audiendum aliquid noui, siue aliquid recentius, καινότερον. Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosos uos uideo: præteriens enim & uidens simulachra uestra) græce est, superstitiosiores, δεισιδαιμονεστέρους. Nec idola est græce, quod nomen transferre solet interpres simulachra, sed σεβάσματα, quod posset transferri cultus siue culturas, siue delubra. Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super uniuersam faciem terræ) ego transtulissem, ad inhabitandam uniuersam faciem terræ. Non enim hoc dicit quod fecit inhabitare genus hominum, sed fecit genus hominum ex uno, ad hoc ut terram inhabitaret, interpres abusus est infinitiuo græco, quod solet trãsferri in gerũdium, quo græci carent. In quibus & Dionysius Ariopagita

Dionysius Ariopagita

pagita) Et si hoc ad institutum huius operis non attinet, tamen non absurdum fuerit pauca dicere de Dionysio. Primum mirari me imperitiā illorum, qui hūc uolunt fuisse philosophiae professorem, ex hoc quod dicatur Ariopagita, quod uidelicet Ariopagus fuerit locus, ubi philosophi legerent ac disputarēt, cū apud omnes ferè autores nō tantum graecos, sed etiam latinos, constet Ariopagum fuisse locum iudicandi, & ariopagitas ipsos iudices, quos Solon instituit, quales Romae erāt Centūuiri. ergo sic Dionysius erat Ariopagita, sicut Romae aliquis centumuir: deinde hunc tanquam summum philosophum in morte domini cū obscuraretur sol, dixisse: aut rerum natura patitur, aut mundi machina destruetur. quasi Athenas usque peruenerit illa obscuritas, cuius nemo, neq; graecus, neq; latinus meminit, ut etiam Hieronymus probat. Nam quod dicitur tenebras fuisse per uniuersam terram, sic dictum est: Sicut dicitur in libris regum facta fuisse fames per uniuersam terram, nempe terram illam. Nō enim de Media, Persia, India, Italia, Gallia, Germania, Hispania intelligebatur: quemadmodum etiam Ambrosius in illo loco Lucae: Exijt edictum à Caesare Augusto, ut describeretur uniuersus orbis. uult accipi uniuersum orbem Romanum, non autem uniuersum orbem terrarū, cuius minor pars erat Romanorum. Addunt his aliam ineptiam, ut quasi non fuerit in uicinis ciuitatibus illa eclipsis, quam uolunt

Ariopagus ariopagita. Centūuiri.

fuisse Athenis, faciunt Dionysium de ea scribentem literas ad alium. Deniq; hic Dionysius an aliquid scripserit, incertũ est, cuius neq; Latini, neq; Græci meminerũt. At ne ipse quidẽ Gregorius indicat fuisse illũ areopagitã, qui hos libros, qui in manibus uersantur, scripserit, quorum authorem quidã nostræ ætatis eruditissimi Græci colligunt fuisse Apollinarem.

CAPVT XVIII.

LOquere, & ne taceas propter quod ego sum tecum, & nemo apponetur tibi ut noceat te, quoniam populus est mihi multus in hac ciuitate.) Eodẽ modo dicitur græce, propter quod, & quoniam. Quare ego sic transtulissem, Ne taceas, quia ego tecũ sum, et nemo inuadet te ad tibi nocẽdũ, quoniã populus est mihi multus in hac ciuitate, siue urbe: διότι ἐγὼ μετὰ σοῦ εἰμι, καὶ οὐδεὶς ἐπιθήσεταί σοι τοῦ κακῶσαί σε, διότι λαός ἐστι μοι πολὺς ἐν τῇ πόλει ταύτῃ.

CAPVT XIX.

DEmetrius enim quidam nomine argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ) Græci ab argento appellant ἀργυροκόπους: nos ab auro aurifices. Nam argentarios ab argento, id est à pecunia uocamus, quos quidam nummularios, quidam græcã uocem uertentes, uocant mensarios. Græci nanq; mensam trapesam appellant, & inde trapezetam, quo nomine tum alij quidam, tum Plautus in Curculione utitur. Si quid autem alterius rei quæritis in legitima ecclesia

argẽtarius, Nũmularius,

clesia poterit absolui. & paulò post. Et cum hæc di- Mensarius,
xisset dimisit ecclesiam) miror de interprete, qui cum trapezeta.
sciat ecclesia græcum uocabulum iam receptum esse Ecclesia.
pro congregatione fidelium, sic loquatur de infideli-
bus, & non potius, ut consuetius & latinum, elegansq;
est, dimisit concionem, & in legitima, siue in consueta
ecclesia absoluetur. Sic enim est græce: non autem po-
terit absolui, ἀπολυθήσεται.

CAPVT XX.

HI cum præcessissent sustinebant nos Troade) Quid uidit interpres, ut diceret potius susti-
nebant, quam expectabant, aut græcum uerbum quod latinum
quoq; est conseruaret, manebant, ἔμενον. Nam nos
quoq; manere pro expectare accipimus, ut paulò post Manere.
idem fecit illic: Quoniam uincula me & tribulatio-
nes manent, μένουσι. In una autem sabbati cum ue-
nissemus ad frangendum panem Paulus disputabat cum
eis, profecturus in crastinum) græce est, una sabbato-
rum σαββάτων. Et cum conuenissent discipuli, συν-
ηγμένων μαθητῶν. Et disserebat, διελέγετο. Non
enim disputabat Paulus cum suis, cum quibus uolebat
panem frangere: neq; enim dicitur cum eis, sed eis, id
est, datiuus est casus græce, non ablatiuus cum præpo
sitione αὐτοῖς. Nec dicitur eleganter in crastinum de
die, qui non sequitur hodiernum, sed postero die, siue
postridie. Proposuerat enim Paulus transnauigare
Ephesum.) Aliqui possent accipere quod Paulus pro-

posuisset transire mare, ut iret Ephesum, atqui nõ ita est. ergo ut latinius, ita clarius fuisset, proposuerat præteruehi Ephesum. Ego scio, quoniam intrabũt post discessionem meam lupi rapaces in uos) non est græce rapaces, sed graues, scilicet graues in uos, βαρεῖς. Beatius est magis dare quàm accipere.) Et ratio iubet, & ueritas græca probat dicendum esse beatum, nõ beatius, aut beatius sine magis, μακάριον.

CAPVT XXI.

Persuadere

ET cum suadere ei non possemus) Græci non distinguũt suadere et persuadere, ut nos facimus. Est enim persuadere, suadendo inducere hominẽ. ergo nõ fuit interpretis, si tamẽ eius culpa est, sequenda lingua græca, sed latina, μὴ πειθομένου αὐτοῦ, quod proprie transfertur, cum aũt non persuaderetur.

CAPVT XXII.

NAtus Tharso Ciliciæ, nutritus autem in ista ciuitate, secus pedes Gamalielis eruditus iuxta ueritatẽ paternæ legis) Dicendum erat Tharsi, uel in Tharso, ut est græce. neq; græce est iuxta ueritatẽ, sed iuxta diligentiã, κατὰ ἀκρίβειαν. Et qui mecũ erant, lumẽ quidẽ uiderunt, uocẽ aũt nõ audierũt eius qui loquebatur mecũ) deest et terrefacti sunt, καὶ ἔμφοβοι ἐγένοντο. Verũ quomodo hic locus congruit cũ illo superiori, ubi dicitur eos qui Paulũ comitabantur, audisse quidẽ uocẽ, sed nullũ tamen uidisse. præterea illic dicitur, Viri aũt qui unà iter faciebant, stabãt

ſtabãt ſtupefacti, audientes quidẽ uocẽ, neminẽ aũt ui dentes. Poſterius aũt: die media in uia uidi rex de cœ lo ſupra ſplendorẽ ſolis circũfulſiſſe me lumẽ, & eos qui ſimul mecũ erant, omnesq; cũ decidiſſemus in ter rã, audiui uocẽ mihi hebraica lingua dicentem: Saul, Saul. quomodo alibi dicuntur ſtetiſſe, alibi decidiſſe? Priori quæſtioni qua ratione ſatisfaciã neſcio, niſi ut putẽ primũ locũ, ubi Lucas ſua perſona loquitur eſſe deprauatũ, permutatis locis duarum dictionum, au dientes & uidentes. Præterea græca uoce φῶς, quæ ſignificat lumẽ in ſibi ſimilẽ: φωνὴ, quæ ſignificat uo cẽ, ut putẽ ſic Lucã reliquiſſe ſcriptũ: uidẽtes quidem lumen, neminem aũt audientes. Poſteriori quæſtioni ſic ſatisfiat, quod poſtquàm collapſi illi fuerunt, conti nuo ſurgentes ſteterunt. Nã & ſi nõ dicatur quod ſur rexerint, nihil obſtare debet, cum uideamus à Paulo multo plura referri apud Agrippam, quàm apud Iu dæos ſibi dicta fuiſſe à domino qui ipſum circumfulſe rat atq; proſtrauerat: quanquã non dicitur græce ſta bant, ſed ſteterunt, id eſt ſurrexerũt, me adhuc iacẽte, & uerba audiente, ἐστήκεισαν. Ananias quidã uir ſecundũ legẽ teſtimoniũ habens ab omnibus Iudæis.) In uno omnino codice repperi, Ananias quidã uir ti moratus ſecundum legem. & ſic græce habet † εὐλα βής. Ego multa ſumma ciuitatem hanc conſequu tus ſum.) Melius ij codices qui ciuilitatem habent. πολιτείαν.

φῶς, φωνὴ. † εὐσεβὴς

CAPVT XXIIII.

INuenimus hunc hominem pestiferum & concitantem seditionem omnibus Iudæis in uniuerso orbe, & autorem seditionis sectæ Nazarenorum.) Abest à græco, seditionis, sed tantum autorem, siue præceptorem sectæ, πρωτοστάτην αἱρέσεως. Confiteor aũt hoc tibi, quod secundum sectam quam dicũt hæresim, sic deseruio deo patri meo.) Quis nominauerat hæresim antea, ut nunc sic dicat Paulus? Non animaduertit interpres se uocabulum græcum hæreseos transtulisse sectæ. ergo nunc dicere debebat, quam dicunt sectam. Idem est græce hæresis, quod latine secta. unde Cicero de Stoicis loquens, ait de Catone: Et est in ea hæresi, quæ nullum sequitur florem orationis. At quomodo dicet secundum sectam quam dicunt sectã? igitur sciamus græce esse secundum uiam, ὁδόν. Itaque non fatetur se sectam sequi, sed uiam, & si postea dicit secundum certissimam sectam religionis nostræ uixi pharisæus. Hic quoque græce est hæresis, αἵρεσις. Appellauit Paulus hæresim siue sectam pharisæorum, quia secti atq; seiuncti sunt pharisæi à Sadducæis. uerum illa Sadducæorũ hæresis falsissima erat. hæc autem pharisæorũ uerissima atq; certissima. nec græce legitur patri deo meo, sed paterno meo, id est deo quem coluerũt patres mei, τῷ θεῷ τῷ πατρῴῳ μου. Distulit autem illos Felix certissime sciens de uia.) Quis hunc latinorũ intelligeret locũ, nisi emendassem

Hæresis, Secta.

dassem superiorem, ubi sectam in uiam cõuerti, quanquàm ne sic quidem aperta satis sententia est. græce est, sciens quæ supple sunt de uia, hoc est de religione Pauli, τὰ περὶ τῆς ὁδοῦ. Illud omitto quod græce nõ est certissime, sed certius, seu exploratius, ἀκριβέστερον, quemadmodum superius: Bono animo pro me satisfaciam, quod ego transtulissem alacrius quæ de me ipso sunt rationem reddo, siue causam dico, εὐθυμότερον τὰ περὶ ἐμαυτοῦ ἀπολογοῦμαι. Multa alia huiusmodi prætereo.

CAPVT XXV.

AD quos respondi, quia non est consuetudo Romanis hominem aliquem damnare, priusquã is qui accusatur præsentes habeat accusatores) quidã codices habent damnare, quidam donare. græce est, donare, siue gratificari, in perditione, siue in interitũ: χαρίζεσθαι εἰς ἀπώλειαν.

CAPVT XXVI.

ERipiens te de populis, & gentibus in quas ego nunc te mittam aperire oculos eorum) de populo legendum est, hoc est Iudæorum. Nam & quidam græci codices habent Iudæorum, & quos non quas, ut græce est, & illud indicat oculos eorum, uidelicet ut aperias oculos eos, in quos, siue ad quos mittam te. neq; nunc apud græcos est, ἐκ τοῦ λαοῦ καὶ τῶν ἐθνῶν εἰς οὓς ἐγὼ σε ἀποστέλλω. Agrippa autem ad Paulum: in modico suades me fieri Christianum, & Paul

lus, opto apud deũ, & in modico et in magno) iã superius admonui istius uerbi nõ suades, sed persuades dicendũ fuisse. quẽ locũ, quia parũ elegãter trãsfertur, sic ego trãstulissem, parum abest quin persuadeas me fieri Christianum: cui Paulus dixit, optarem apud deum, siue uotum facerem deo, siue parum, siue multum abest, ὁ δὲ παῦλος εἶπεν, εὐξάιμην ἂν τῷ θεῷ.

CAPVT XXVII.

TRadi Paulum cum reliquis custodijs) græce est, & quasdam alias custodias, siue ut ad uerbum transferam, & quosdam alios uinctos, καὶ τινας ἑτέρους δεσμώτας. Venimus Listram quæ est Ciliciæ) græce est, deuenimus in Myra quæ sunt Lyciæ: κατήλθομεν εἰς μύρα τῆς λυκίας. Consolabatur eos Paulus) Non consolabatur eos Paulus: quippe quos nondum uidebat aliquid passos, aut pati timentes, sed passuros: ergo admonebat eos ne discederent: & ita habet ueritas græca παρῄνει. Viri uideo, quoniam cum iniuria & magno damno non solum oneris, sed & animarum uestrarum incipit nauigatio) frequenter interpres ponit incipit pro eo, quod futurum est, ut cum in alijs locis, tum in illo superiori, uirũ hunc comprehensum à Iudæis, & incipientem interfici ab eis, superueniens cum exercitu eripui. quem locũ sic transtulissem: uirum hunc iam comprehensum à Iudæis, & iamiam interficiendum. uel sic, quem uidebã interfectum iri, μέλλοντα ἀναιρεῖσθαι ὑπ' αὐτῶν.

Hunc

Hunc ita transferrem etiam magis ad uerbum, quàm illud superius: Viri uideo fore, ut cũ iactura et magno detrimento, non solũ oneris, & nauis, sed etiam animarum uestrarum nauigetur. ἄνδρες θεωρῶ ὅτι μετὰ ὕβρεως καὶ πολλῆς ζημίας οὐ μόνον τοῦ φορτίου ἀλλὰ καὶ τῶν ψυχῶν ὑμῶν μέλλειν ἔσεσθαι τὸν πλοῦν. Oportebat quidem ò uiri, audito me nõ tollere à Creta) audito me parũ aperte dicitur. apertius, & magis ad literam sic transtulissem: Oportebat quidem uiri uos mihi auscultantes, non proficisci à Creta, ἔδει μὲν ὦ ἄνδρες πειθαρχήσαντάς μοι μὴ ἀνάγεσθαι ἀπὸ τῆς κρήτης. Et cum misissent scapham in mare sub obtentu quasi à prora inciperẽt ancoras extendere.) Idem quod paulò ante notaui, quasi inciperent extendere, pro quasi extẽsuri ancoras, ὡς ἐκ πρώρας μέλλοντες ἀγκύρας ἐκτείνειν. Itidem paulò post: Et cum lux inciperet fieri, quomodo incipiebat fieri lux, id est dies. Nam dies græce legitur, cum postea sit illos Paulus alloquutus, & ipse & cæteri comederent antequàm dies fieret, cũ sequatur, Cum autem dies factus esset? ergo non cum dies inciperet fieri dicendum erat, sed cum dies futura iam esset, ἄχρι δὲ οὗ ἔμελλεν ἡμέρα γίνεσθαι.

CAPVT XXVIII.

ET cũ euasissemus, tunc cognouimus quod Militene insula uocabatur.) Melita est legẽdum, ut faciunt docti scriptores, & sic græce habet, μελίτη.

quam Homerus unam Nereidū esse uult, quamq; indigenæ melius, & si barbari, maltam uocant, quā nostri uulgo literati Melmetum, ut in multis locorum aliorum nominibus fit: ut in genua quam literati ianuam, & in comum quod ijdem Cumas, & in Barcelonam, quam Barchmonam uocant. Qui nos suscipiens benigne, triduo exhibuit) græce est, benigne hospitium exhibuit, siue benigne in hospitio habuit, siue benigne hospitaliter habuit, φιλοφρόνως ἐξένισεν. Contigit autem patrem Publij febribus & dysenteria uexatum iacere.) Et si dysenteria notiū magis uocabulum est quàm nostrum tormina, tamen ego maluissem dicere torminibus, δυσεντερία.

Ianua. Cumæ. Barchmona. Dysenteria Tormina. Castores.

Post menses autem tres nauigauimus in naui Alexandrina, quæ in insula hyemauerat, cui erat insigne castrorū) Legēdū insigne castorū, qui græce dicūtur Iouis liberi, seu Iouis filij, seu Iouis ples, hoc est Castor & Pollux, quos aliquādo, ut Seruius grāmaticus ait, latini appellarūt Castores. Erat aūt id nauis insigne qđ Tindaridæ qui sunt Castor et Pollux putabantur præesse tēpestatibus. unde cū post tēpestatē nubilo cœlo quædam in nauibus lumina uisuntur, putātur hi fratres adesse, quod testatur Seneca, cum ait, quod nautæ putant tunc se iuuari Pollucis & Castoris numine. et in tragœdijs, nō illic geminum Tindaridæ genus succurrunt timidis sydera nauibus. ἐν πλοίῳ ἀλεξανδρινῷ, ἐν τῇ νήσῳ παρακεχειμακότι, παρασήμῳ διοσκούροις

διοσκούροις. Et sic uenimus Romam, & inde cum audissent fratres, occurrerunt usq; ad Appij forum, & tribus tabernis.) Melius in ijs codicibus ubi tres tabernas legitur, quia prius nominatur Roma quàm Appij forum. Quidam putãt hoc forum esse intra urbem Romã, quod lõgius illinc est quàm Aritia, quod ostendit Horatius dicens: Egressum magna me excepit Aritia Roma. Inde forũ Appij. Et alioquin historia indicat, in qua dicitur, ex urbe Roma fratres occurrisse. & mox: Vt uenimus autem Romam, permissum est Paulo manere sibimet cum custodiente se milite) græce est, manere apud seipsum, καθ' ἑαυτὸν, siue per seipsum. Vade ad populum istum, & dic ad eos: Aure audietis & non intelligetis, & uidentes uidebitis, & non perspicietis) græce est, & non intelligatis, μὴ συνῆτε. & non perspiciatis οὐ μὴ ἴδητε.

Forum Appij. Aritia.

FINIS.

o



LAVRENTII VALLAE ANNOTATIONES in epistolam Pauli ad Rom.

CAPVT I.



Vocatus. Aulus seruus Iesu Christi, uocatus apostolus) nō est accipiendū hic uocatus pro nominatus. quale est illud Matthæi, De qua natus est Iesus qui uocatur Christus. Nā hoc perinde est, ac si diceretur, uocatus in apostolatum. Aut forte sic est legendū, apostolus separatus in euāgeliū, ut sit, Paulus seruus Christi uocatus. quales erant qui à Romanis dicebantur euocati, qui sine ullo apposito sic dicebantur, qui ad auxiliū rei bellicæ ut amici accersebātur, hoc probat id quod paulò post seqtur: In quibus estis & uos uocati Iesu Christi) quasi electi Iesu Christi. Quid multa? eadē ratione dicūtur nūc uocati substātiue, qua dicūtur apostoli, id est missi: ideo aliud est uocabulū illic q uocatur Christus, λεγόμενος, aliud hic κλητός. Qui factus est ei ex semine Dauid) græce potius est, qui genitus est ei, γενομένου. Secundū spiritū sanctificatiōis, & resurrectionē mortuorū Iesu Christi domini nostri) neq; mortuorū Iesu Christi

Euocati.

Apostoli.

sti uidetur nūc dici posse, quia unus mortuorū est ipse Iesus Christus: neq; resurrectionē Iesu Christi, quia dicitur spiritus resurrectionis. ergo non per genitiuū nostrū fuit genitiuus græcus trāsferendus, sed per ablatiuū, ut ille superior de filio suo, ad quod nūc refertur Iesu Christo domino nostro. Nā si trāsferretur ad uerbū, sic transferretur, De filio suo genito ex semine Dauid secundū carnem, destinato filio dei in potentia secūdū spiritū sanctificationis, & resurrectionis mortuorū Iesu Christo domino nostro. Ad cōfirmādos uos, id est simul consolari in uobis.) Cur alterū infinitiuū græcū in usum linguæ latinæ mutas, εἰς τὸ στηριχθῆναι, alterum non mutas, τοῦτο δὲ εἰς τὸ συμπαρακληθῆναι? Ergo dicendum erat, ad simul consolandum in uobis, uel ut unà consolationem, siue solatium caperem in uobis. Græcis et Barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum, ita quod in me promptum est & uobis qui Romæ estis euangelizare.) Nō est accipiendū è græca oratione res quæ prompta est, οὕτω τὸ κατ᾽ ἐμὲ πρόθυμον, sed promptitudo, sicut paulò post, quoniam bonitas dei ad pœnitentiā te adducit, Græce est bonum, siue benignum dei, id est benignitas, τὸ χρηστὸν τοῦ θεοῦ. Quare hunc locum ad uerbum sic transtulissem, græcis pariter & barbaris, sapientibúsque & insipientibus debeo, siue debitor sum, itidem pro meo in uobis studio & uobis qui Romæ estis euangelizare, siue ad euan-

gelizãdum. Iustius autem ex fide uiuit) uiuet legendum est, ζήσεται. Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciũtur.) Quænam est creatura mundi, id ego non intelligo. At si dicatur à creatione mundi, manifestum erit, hoc est, à factione mundi, uidelicet à forma mũdi conditi. Nã uerbum græcum quod transfertur creare, sæpius & forte uerius transfertur condere, ut sciamus, ubicũq; legimus in trãslatione è græco creare, nihil aliud esse quàm condere. Quod autem græcum hoc nomen, quod hic transfertur creatura, κτήσεως, possit trãsferri creatione, locus ille epistolæ ad Hebræos probat: peramplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id est nõ huius creationis, κτήσεως. Apud Augustinum reperio à constitutione mundi. nec quinque uocabula sunt græce per ea quæ facta sunt, sed unũ operibus seu factis, τοῖς ποιήμασι. Etiam cernũtur dixissem potius quàm conspiciuntur, καθορᾶται.

Creare, Condere.

Sempiterna quoq; uirtus eius & diuinitas) Quæ, nõ quoq; transferendum fuit. pendet enim à uerbo superiore illud sempiterna uirtus, quod uidelicet conspicitur, & sic est græce ἥτε ἀΐδιος. Propter quod tradidit illos deus in desideria cordis eorũ.) Melius cordis sui, καρδίας αὐτῶν. Propterea tradidit illos deus in passiones ignominiæ) Passiones non probe dici latine πάθη, Hieronymus quoq; testatur, nec morbos Cicero, sed perturbatiões. Quintilianus aũt proprie dici

πάθη.

dici affectus ait, & ita ferè autores usurpant. quare ego transtulissem, affectus cõtumeliæ, ἀτιμίας, quod congruit cum illo superiori, ut contumelijs afficiant corpora sua, ἀτιμάζεσθαι. Qui cum iustitiam dei cognouissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, non solum qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus.) Aliter græce legitur, qui cum iustitiã dei cognouissent, quod qui talia agunt, digni morte sunt, non solum hæc faciunt, sed etiam consentiunt agentibus, οἵτινες τὸ δικαίωμα τοῦ θεοῦ ἐπιγνόντες, ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες, ἄξιοι θανάτου εἰσὶν, οὐ μόνον αὐτὰ ποιοῦσιν, ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσι τοῖς πράσσουσι.

CAPVT II.

ET qui non acquiescunt ueritati, credunt autem iniquitati.) Iocundius græce dicitur sine uariatione uerbi, non credunt ueritati, credunt autem iniquitati, ἀπειθοῦσι μὲν τῇ ἀληθείᾳ, πειθομένοις δὲ τῇ ἀδικίᾳ. Non est personarũ acceptio apud deũ) Ego dixissem potius, non est personarum respectus, siue intuitus, uelut contemplatio. Nam ut ὑποληψία, quæ est suspitio, ita προσωποληψία. quæ est acceptio personarum, à uerbo λαμβάνω uenit, quod significat capio: & tamen eius cõposita significant aliquid, scilicet, quale aspicio, intueor, contemplor. Cũ enim gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt, eiusmodi legẽ non habentes, ipsi sibi sunt λαμβάνω

lex.) Non græce eiusmodi, sed hi, οὗτοι: nec ipsi sibi, sed sibimet, siue sibiipsi, ἑαυτοῖς. Reddente illis testimonium cōscientia ipsorum, & inter seinuicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium.) Non est in græco Illis, quod si esset, dicendū erat, sua, non ipsorum: uerum pro illis ponendum est simul. dicitur enim συμμαρτυρούσης. uerum hoc non fuit, ut reor, interpretis uitiū. illud fuit, quod cū incipiat transferre genitiuum græcum per ablatiuum, relinquit reliquos genitiuos contra rationem linguæ latinæ, cum fuerit dicēdum cogitationibus accusantibus, aut etiam defendētibus. Magistrum infantium) ego maluissem dicere paruulorum, quemadmodum sæpe transfertur νηπίων.

CAPVT III.

QVid igitur, præcellimus eos? nequaquam causati sumus Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse) græce est, præcausati, quod ego transferrē, supra diximus enim causam, προῃτιασάμεθα. Quē proposuit deus propitiatorem) quidam codices habent propitiationem, græce est propitiatorium, ἱλαστήριον. Quoniam unus deus qui iustificauit circūcisionem ex fide, & præputium per fidem) futuri temporis est iustificabit, non præteriti iustificauit, δικαιώσει.

CAPVT IIII.

CRedidit Abraam deo, & reputatum est illi ad iustitiam) ἐλογίσθη. Ei autem qui operantur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum meritum) λογίζεται. Ei uero qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam secundum propositũ gratiæ dei) λογίζεται. Sicut & Dauid dicit, beatitudinem hominis, cui deus accepto fert iustitiam sine operibus) λογίζεται. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. beatus uir cui non imputauit dominus peccatum) λογίσηται. Quis putet græce, hoc est in fonte, esse unum uerbum pro his omnibus, reputare, imputare, & accepto ferre, quanquam nunquam me legisse memini accepto ferre, sed acceptum ferre: unde acceptilatio: sed alia illa est significatio. ergo ne multis agam, mallem interpres simpliciter per uerbum puto transtulisset. Et uocat ea quæ sunt, tanquam ea quæ non sunt) transferendum erat ea quæ non sunt tanquam sint. non enim dicitur, ὡς τὰ ὄντα, sed ὡς ὄντα.

Acceptum ferre. Acceptilatio.

CAPVT V.

VT quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus secũdũ tẽpus pro impijs mortuus est. uix enim pro iusto quis moritur. Nam pro bono forsitan quis audeat mori.) Non est græce, ut quid enim, sed

etiam enim, quod ſic transferendum erat: nam etiam Christus, ſiue, Christus enim etiam, ἔτι γὰρ. Illud autem, pro iuſto & pro bono, obſcuri ſenſus eſt, hoc eſt pro iuſto uiro, proq; bono uiro. At ſi accipiamus pro iuſtitia, fiet ſenſus apertior. quod ſi ita eſt, pro iuſtitia transferendum erat. Nam & ſi apud latinos iuſtum pro iuſtitia reperitur, raro tamen, ut apud Vergil. Iu-

Bonum. ſtumq; memor precatur. Bonum autẽ pro utilitate, & honeſtate, & ut ſic dicam, pro bonitate frequentiſſimum eſt. Erit igitur ſenſus, quod pro iuſtitia ac uirtute nemo moritur, ut pro bono, & remuneratione, præmioq; uirtutis. Niſi uolumus hunc ſenſum, non oportere quempiam mori pro iuſto uiro, forſitan pro uiro non perfectæ iuſtitiæ, ſed bonæ mentis. Multo magis reconciliati ſalui erimus in uita ipſius, non ſolum autem, ſed et gloriamur in deo.) Quid ita formã loquendi græcam formidauit interpres mutare in latinam, ut iterum ſuperius fecit eiſdem uerbis, & poſterius aliquanto. Ego certe qui nihil unquam tale apud latinos legi, ſic dixiſſem, neq; id ſolum, ſed & gloriamur. Eſt enim obſcura ſententia apud nos, ſi nihil è græco immutemus. melius igitur poſterius ubi adiecit pronomen: Non ſolum autem illa, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habẽtes, οὐ μόνον δὲ ἀλλὰ. Itaq; ne illud quidem quod paulò poſt ſequitur, ſic tranſtuliſſem, ut fecit interpres.

CAP.

CAPVT VI.

QVi enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc uiuemus in illo?) uidetur peccato esse ablatiuus, sed sic transferrē: Quomodo enim adhuc uiuemus in peccato, cui mortui sumus? Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem uiuit, uiuit deo.) In neutro genere legendum est mortuum, nō in masculino mortuus. Est enim utrunq; Quod relatiuum non coniunctio, ὃ γὰρ ἀπέθανε, τῇ ἁμαρτίᾳ ἀπέθανεν, ὃ δὲ ζῇ, ζῇ τῷ θεῷ. *Cum enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ) eratis legendū est, nō fuistis. est enim eadē uox quæ illa, essetis, ut dici etiam possit. Cum enim serui eratis peccati, liberi eratis iustitiæ, seu iustitia. Incertum est an datiuus græcus nunc debeat per datiuū transferri, an per ablatiuum,* ἤτε τῇ δικαιοσύνῃ.

CAPVT VII.

SEd cum uenisset mandatum, peccatum reuixit: ego autem mortuus sum, & inuentum est mihi mandatum, quod erat ad uitam, hoc esse ad mortem) legendum est, mortuus fui, ἀπέθανον. *Quod ergo bonum est, mihi factum est mors. Absit: sed peccatum ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem, ut fiat supra modum peccans, peccatum per mandatum) græce non legitur operatum est, sed operans, quod ego transtulissem operādo, siue perpetrando,* κατεργαζομένη. *Video autem aliam legem in*

membris meis repugnantem legi mentis meæ) Græce est, militantem contra legem mētis, siue (ut sic dicam) contramilitantem legi mentis meæ, ἀντιστρατευόντα τῷ νόμῳ. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia dei per Iesum Christū dominum nostrum) non est dei, sed deo, hoc est gratia sit deo, χάρις τῷ θεῷ, quanquam pleriq; codices habeant, gratias ago deo, εὐχαριστῶ τῷ θεῷ. Credo sic exponendum, gratia deo, quod ipse liberabit nos per Iesum Christum.

CAPVT VIII.

Qui enim secundum carnē sunt, quæ carnis sunt sapiunt: qui uero secundū spiritum, quæ spiritus sunt sentiunt.) Sic legitur græce: qui enim secūdū carnem sunt, ea quæ sunt carnis sentiunt: qui uero secundum spiritum, ea quæ sunt spiritus, οἱ γὰρ κατὰ σάρκα ὄντες, τὰ τῆς σαρκὸς φρονοῦσιν, οἱ δὲ κατὰ πνεῦμα, τὰ τοῦ πνεύματος. Nam prudentia carnis mors est: prudentia autem spiritus uita & pax, quoniam sapientia carnis inimica est deo) græce non legitur sapiētia, sed prudētia: nec uideo quare interpres mutandū nunc nomen putauit, nisi gratia uarietatis, quæ uarietas nec nunc locum habet, nec si haberet, decora esset, φρόνημα. Si aūt Christus in uobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus uero uiuit propter iustificationem) Græce non legendum uiuit, sed uita, ut repetatur superius uerbū

uerbum est, τὸ δὲ πνεῦμα ζωή. In quo clamamus abba pater) uox græca probat non esse pater uocatiui casus, sed nominatiui, ἀββᾶ ὁ πατήρ. Idem dico de loco illo apud Marcum: Cum Iesus orauit, dicens: Abba pater, ἀββᾶ ὁ πατήρ, quasi diceret, abba, quod interpretatur pater. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus) græce est nouit, qui sensus spiritus, siue ut circumloquamur, quid sentiat spiritus, οἶδε τί τὸ φρόνημα τοῦ πνεύματος. Scimus autem, quoniam diligentibus deum omnia cooperantur in bonum, ijs qui secundum propositū uocati sunt.) Ambiguum est, an cooperatur legendum sit, id est spiritus, an cooperantur. Est enim græce quidem numeri singularis, sed qui potest seruire nomini numeri pluralis secundum legem grammaticæ græcæ, συνεργεῖ: certe illud sancti non legitur græce, nec uocati sunt: nunc præteritum uerbi est, sed eo modo dictum quo dicimus, isti sunt aduocati mei, τοῖς κατὰ πρόθεσιν κλητοῖς οὖσι. Qui etiam proprio filio non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?) Nondum donauit nobis omnia deus. ideóque legendum est donabit, ut est græce χαρίσεται. Qui etiam interpellat pro nobis, ἐντυγχάνει. Idem uerbum quod superius, ubi inquit, sed ipse spiritus postulat, ἐντυγχάνει. & mox iterum: quia secundum deum postulat pro sanctis, ἐντυγχάνει. Certus

ſum enim) græce non tam certus ſum dicitur, quàm perſuaſus ſum, hoc eſt perſuaſum habeo, quod penè eſt quod pro certo habeó, quod alibi ferè trãsfertur confido, ut ibi: Scio & confido, quia nihil per ipſum commune, πέπεισμαι.

CAPVT IX.

ET gloria, & teſtamentum, & legislatio, & obſequium) græce obſequium, nunc dicitur latria, λατρεία. Non autem quod excidit uerbum dei) græce eſt, non autem tale quod: ſeu, quia excidit uerbum dei, id eſt non tale illud, quod ego optarim eſſe anathema, quodq; ſint infideles filij Iſraël, ideo uerbum dei excidit, οὐχ οἷον δὲ ὅτι ἐκπέπτωκεν.
Sed & Rebecca ex uno concubitu habẽs Iſaac patris noſtri) græce eſt caſus accuſatiuus concubitum, nec poteſt coniungi cũ illo, ex uno, quod eſt diuerſi generis: nam concubitus generis eſt fœminini, illud uero aut maſculini, aut neutri, ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα, quod etiam probatur ex illo participio habens, quod obſcurũ eſt, niſi ſic accipimus, habẽs concubitũ Iſaac patris noſtri. lõge igitur erit alia ſentẽtia hæc, quàm uulgaris illa, quod ſcilicet Rebecca habuit duos filios ex uno concubitu Iſaac. Non enim curæ erat Paulo facere mentionem de numero concubituum, ſed ſicut in uno filio Abrææ è Sarra nato, ita in uno, ſiue ex uno filio Iſaac quem genuit Rebecca, non in ambobus, ſiue ex ambo•

ambobus fuisse repromissionem. Si uero, ut Graeci exponunt, ex uno Isaac patre nostro accipiendum est, fuit culpa interpretis, qui genitiuum graecum non mutauit in ablatiuum, dicens patre nostro. Et misericordiam praestabo, cuius miserebor) graece, ut in alio superiori, ita hic, tēporis praesentis misereor : nec tā est cuius, quàm cuiuscunq;, idq; in utroq; loco, ἐλεήσω ὃν ἂν ἐλεῶ, καὶ οἰκτειρήσω ὃν ἂν οἰκτείρω.

Dicis itaq; mihi, quid adhuc queritur? uolūtati enim eius quis resistit?) Et si Cōqueritur apud nos nō usurpatur in significationem passiuam, tamen uox graeca non minus accipi potest passiue, quasi quid amplius expostulatur, siue incusatur, quàm actiue, quid amplius, siue adhuc, deus conqueritur? τί ἔτι μέμφεται.

Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit) In futuro est, dicet, non in praesenti dicit, ἐρεῖ. Neq; est pronomē Se, quod si esset, magis dicendū erat qui ipsum finxit, seu qui illud, siue qui id finxit, τῷ πλάσαντι.

Aliud quidem uas in honorem, aliud in contumeliam) ego ut redderem graecam elegantiam, dixissem, aliud quidem uas in decus, aliud uero in dedecus, siue hoc quidem uas ad decus, illud uero ad dedecus. Neq; enim contumelia hoc uocari potest, quod in usus turpes uas fiat. ὃ μὲν σκεῦος εἰς τιμήν, ὃ δὲ εἰς ἀτιμίαν. Vasa irae apta ad interitum) graece est aptata κατηρτισμένα. Verbum enim consummans, & breuians in aequitate: quia uerbum breuiatum faciet

dominus super terram.) Consummans & breuians refertur ad dominus, quae sunt casus nominatiui: nam Verbum casus est accusatiui, λόγον γὰρ συντελῶν καὶ συντέμνων.

CAPVT X.

Moyses enim scripsit, quoniam iustitia quae ex lege est, qui fecerit homo uiuet in ea: quae autem ex fide est iustitia, sic dicit: Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in coelum, id est Christum deducere) Graece non est scripsit, sed scribit, γράφει: nec legitur, Moyses enim scribit, quoniam iustitiam: sed sic, Moyses enim scribit iustitiam, quae est ex lege. deinde sequitur quoniam, seu quod. Neque sunt haec uerba Moysi, sed Pauli, nec ea quae recitaui ego, sed haec: quoniam qui fecerit ea homo uiuet in ipsis, τὴν δικαιοσύνην τὴν
τὸ ποιήσας ἐκ τοῦ νόμου, ὅτι † ποιηθεὶς αὐτὰ ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτοῖς. In eo autem, ne dixeris, uellem dixisset more suo interpres, noli dicere, ut concinne sequeretur illud, hoc est Christum deducere: nempe noli Christum deducere à coelo, negando illum ascendisse. graece tamen est, ne dicas, μὴ εἴπῃς. Sed non omnes obediunt euangelio) Obedierunt legendum est, ὑπήκουσαν. Ego ad aemulationem uos adducam in non gentem, in gentem insipientem, in iram uos mittam) non est legendum in accusatiuo casu, sed in ablatiuo, in non gente, in gente insipiente, ἐπ' οὐκ ἔθνει, ἐπὶ ἔθνει ἀσυνέτῳ.

CAP.

CAPVT XI.

SEd illorum delicto salus gẽtibus est, ut illos æmulentur, qui æmulentur.) An Israëlitæ æmulẽtur gentes, atqui dicendum erat illas, quod fieri nequit, quia græce est illos, siue eos: nam gẽtes est generis neutri. An gentes æmulentur Israëlitas, at hoc indignum est. Ego accipio, id est, sic interpretãdum fuisse puto, ut adduceret eos ad æmulationem, hoc est deus: nam græce est infinitiuum, εἰς τὸ παραζηλῶσαι αὐτούς, quod infinitiuum incommode transfertur per gerundium, quo Græci carent, transferturq; sic ad uerbũ, ad deducendum eos in æmulationem. quæ sententia congruit cum illa superiori: Ad æmulationem uos adducam, παραζηλώσω. & cum sequenti paulò post: Si quo modo prouocem carnem meam ad æmulandũ. carnem suam uocat Israëlitas, qui sunt ex eodem progenitore Abraam, παραζηλώσω. Quod si delibatio sancta, & massa) quod hic delibationẽ, sæpius alibi primitias uocat, ut ibi: Sed & ipsi primitias species habentes, ἀπαρχὴν. & quod nunc massam, alibi cõspersionem, ut ibi: ut sitis noua cõspersio, φύραμα. Nec proprie puto nunc dici massam, quod nomen ad multa generale est, quodq; haud scio an huic loco conueniat. Conspersio autem proprie significat farinam cum aqua, siue farinam & aquam inuicem conspersa, quæ est græci uerbi significatio. Tu autem cum

Conspersio

oleaster esses, insertus es in illis) pro insitus dixit interpres cōtra rationē, insertus, ἐνεκεντρίσθης. Noli altū sapere, sed time) Vsitatius & magis proprium est sentire quàm sapere, græci uerbi sensum: est enim unum, μὴ ὑψηλοφρόνει. ueteres sic exprimebant tollere spiritus, hoc est de se magnifice sentire. Vt non sitis uobis ipsis sapientes) græce est, apud uosipsos prudentes, id est, ne de uobis plus æquo sentiatis, παρ᾽ ἑαυτοῖς φρόνιμοι, quod probat alter locus paulò post sequens eisdem, quibus nunc ego transfero uerbis. Ita & isti nunc crediderunt in uestram misericordiam) græce est, uestræ misericordiæ, τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει.

Conclusit enim deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur) legendum est omnes, non omnia, τοὺς πάντας. Et inuestigabiles uiæ eius) puto legēdum cū negatione, ininuestigabiles uiæ eius: quod uidelicet nequeant inuestigari, id est per uestigia inueniri. Nam uestigari est per uestigia quærere: nisi hoc uelimus intelligere, quod nec inquiri uiæ dei possint, ἀνεξιχνίαστοι. Quis enim cognouit sensum domini?) mallem ego dicere mentem domini, νοῦν. Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia) Græce est, in ipsum, & si nonnunquā accusatiuus huiusmodi apud Græcos habet uim datiui, qui est instar ablatiui apud nos, tamen magis puto significari in quem, quàm in quo omnia. Vt sit idem, unde omnia, & per quē omnia, & in quo omnia, quasi idem sit principiū, medium,

Vestigari.

medium, & finis rerum omnium, καὶ εἰς αὐτόν.

CAPVT XII.

RAtionabile obsequium) græce hic obsequium est latria, λατρεία. Sed reformamini in nouitate sensus uestri) hic quoq; maluissem dicere, mentis uestræ, νοὸς. Dico enim per gratiā quæ data est mihi, omnibus qui sunt in uobis, non plus sapere, q̃ oportet, sed sapere ad sobrietatē) non legitur græce plus, sed super, siue supra, estq; idem uerbum de quo paulò ante mentionē feci, quod potius debet transferri sentire quàm sapere: hoc est, ne uelitis de uobis sentire supra quàm oportet sentire de uobis. quod probat locus ille sequens, ubi est idem uerbum, non alta sapientes, sed humilibus consentientes, μὴ ὑψηλαφρονοῦντες. Illud autem, ad sobrietatem, negat Hieronymus recte translatum, sed transferri debere, ad pudicitiam, μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν. Et significat quidem hoc nomen græce pudicitiam. Sed quomodo intelligetur illud in actibus Apostolorū: Non insanio, inquit, optime Feste, sed sobrietatis & ueritatis uerba loquor, σωφροσύνης. Taceo quomodo Herodotus, Tucydidesq;, & alij quidā hoc uerbum accipiunt. Certe cōmunis usus, & Lucas, siue Paulus illic accipit pro modestia & temperantia, quæ significatio simillima est sobrietati, σωφροσύνη. Ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra)

Σωφροσύνη.

græce est, singuli autem mutuo membra: quod etiam elegantius dicimus, alius alterius membra, quàm alter alterius, ὁ δὲ καθεὶς ἀλλήλων μέλη. Siue prophetiam secundũ rationem fidei) secundũ proportionem, aut transferendũ fuit, aut legendum est, κατὰ τὴν ἀναλογίαν. Mihi uindictam, & ego retribuam, dicit dominus.) Nominatiui casus legendũ est uindicta, & sine copula, ἐμοὶ ἐκδίκησις, ἐγὼ ἀνταποδώσω. Ergo non defendentes, legendum est, sed non uindicantes, in illo: nõ uosmetipsos defendentes charißimi, sed date locum iræ: scriptum est enim. mihi uindicta: nam idem uerbum græce est in illo uindicta, & in hoc defendentes, ἐκδικοῦντες.

CAPVT XIII.

Qui autem resistunt, ipsi damnationem acquirunt: nam principes nõ sunt timori boni operis, sed mali,) græce non est acquirunt, sed accipient, λήψονται. Nec timori boni operis, sed mali.) Etsi eleganter loquimur per datiuum timori, tamen genitiuus ille boni operis, non concinne sequitur, foret enim melior datiuus bono operi: sed ad uerbũ sic est græce, non sunt terror bonorum, sed malorũ, φόβος τῶν ἀγαθῶν ἔργων, ἀλλὰ τῶν κακῶν. Non concupisces rem proximi tui: & si quod est aliud mandatum, in hoc uerbo instauratur, diliges proximum tuum sicut teipsum.) Instauratur uerbum non mihi uidetur implere græcam significationem ἀνακεφαλαιοῦται.

λαιοῦται, quod ego dixissem, in summam huius sermonis seu uerbi rediguntur. siquidem nunc singularis numerus resoluitur in pluralem propter suppositum pluralis numeri, quod est hoc & hoc, &c.

Nunc autem propior est nostra salus, quàm cũ credidimus.) graece est aduerbium è neutro genere factum propius, nec adest uerbum substantiuũ: & forte sic transferendũ, nunc propius nos salus, νῦν γὰρ ἐγγύτερον ἡμῶν ἡ σωτηρία. Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & in impudicitijs, non in contentione & aemulatione.) graece abest praepositio in. Est enim nonnihil differens sensus sine praepositione. Et carnis curam ne feceritis in desiderijs.) In desideria graece legitur, siue in concupiscẽtias, id est ad cõcupiscẽtias, εἰς ἐπιθυμίας, nec magis curã transferri potest, q̃ prouisionẽ & prospectũ πρόνοιαν.

CAPVT XIIII.

INfirmum autẽ in fide assumite, non in disceptationibus cogitationũ.) abest graece praepositio ante nomen fide, uerbũ quoq; illud assumite: potius transtulissem, ut transferri solet, adiuuate παραλαμβάνεσθε, ut in illo quoq; quod paulò post sequitur: deus enim illum assumpsit, προσελάβετο. In disceptationibus.) graece est accusatiuus casus, qui si potest capi pro ablatiuo, forte in superiori quoq; capi poterit, quod erat in desideria εἰς διακρίσεις. disceptatio aũt nunc pro haesitatione, siue p ambigendo ponitur,

Disceptatio.

ut in illo loco ad Rom. In repromissione dei non hæsitauit diffidentia, διέκρινε. Alius enim credit manducare omnia: qui autem infirmus est, holus manducet.) Ego sic transferrem: hic quidem credit manducare omnia, ille autem infirmus holus manducat, ὃς μὲν πιστεύει φαγεῖν πάντα, ὁ δὲ ἀσθενῶν λάχανα ἐσθίει. Vnusquisq; nostrum pro se rationem reddet) de se, græce est, siue de seipso, περὶ ἑαυτοῦ. Non ergo blasphemetur bonum nostrum) uestrum legendum est, ὑμῶν.

CAPVT XV.

Debemus autē nos firmiores, infirmitates infirmorum sustinere.) Ego dixissem, debemus autem nos ualidi imbecillitates inualidorum ferre, seu portare, οἱ δυνατοὶ τὰ ἀσθενήματα τῶν ἀδυνάτων βαστάζειν. Quæcunq; enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt) græce in utroq; est, præscripta, siue antescripta sunt, προεγράφη. Vt per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus: deus autem patientiæ & solatij det uobis idipsum sapere in alterutrum) quid attinebat mutare uocabulum, ut cum dixerit cōsolationem, παρακλήσεως, mox diceret solatij, παρακλήσεως, cum non mutauerit uocabulum patientiæ? quod frequentius solet transferri expectatio: uenit enim à uerbo maneo, quod est expecto, ὑπομονῆς. Idipsum cur dicit potius quàm idem, non intelligo, idq; tam crebro. Græci

pro

pro nostro idem habent idipsum, seu potius nos habemus idem pro græco idipsum, τὸ αὐτό. In alterutrũ quoq; bis dicitur, non latine, semel propter præpositionem, iterum propter significationem: inuicẽ nanq; seu mutuo dicendum erat, nõ alterutrum, quod significat alterum utrũ uelis, ἐν ἀλλήλοις. Dico enim uobis, Christum Iesum ministrum fuisse circuncisionis propter ueritatem, ad confirmandas promissiones patrum, gentes autem super misericordia honorare deum.) Cur non sicut propter ueritatem, ὑπὲρ ἀληθείας, ita propter misericordiam dixit, ὑπὲρ ἐλέους? Certus sum autem fratres mei) quod hic ait, certus sum, πέπεισμαι, superius dixit, confido, ubi ait: Scio & confido in domino Iesu, πέπεισμαι. quod proprie, ut dixi, dicitur persuasus sum, siue persuasũ habeo, siue pro certo habeo. Et nomini tuo cãtabo.) Cur non dixit psallam, quod uerbum iam factum est planè latinum: ut apud Salluſtiũ, Psallere & cantare doctius quàm probæ mulieri satis est, ψαλῶ. In principio psalterij transfertur hic idem locus sic: Et nomini tuo psalmum dicam, ψαλῶ. Habeo igitur gloriã in Christo Iesu ad deum) græce potius est gloriationem, καύχησιν, quod alius forte transferret, habeo unde glorier: nam habeo gloriationem non dicitur, neq; est ad deum, sed in his quæ ad deum sunt. quod forte idem ille alius trãsferret, in his quæ ad deũ pertinent, uel quàtenus ad deum pertinet, τὰ πρὸς τὸν

Alterutrũ.

Psallo.

θεὸν. Ita ut ab Hierusalem per circuitum usque ad Illyricum repleuerim euangelium Christi. Sic autem prædicaui hoc euangelium, non ubi nominatus est Christus.) Græce est, sic tamen cupiẽs, siue annitens, siue elaborans euangelizare, uel euangelium prædicare, οὕτω δὲ φιλοτιμούμενον εὐαγγελίζεσθαι. Cupiditatem autem habens ueniendi ad uos ex multis iam præcedentibus annis, cum in Hispaniã proficisci cœpero, spero quod præteriens uideã uos) græce est, ut si proficiscar in Hispaniã, ueniã ad uos: spero enim fore, ut transiens uideã uos, ὡς ἐὰν πορεύωμαι εἰς τὴν σπανίαν, ἐλεύσομαι πρὸς ὑμᾶς. ἐλπίζω γὰρ διαπορευόμενος, θεάσασθαι ὑμᾶς.

Si tamen uobis primum ex parte fruitus fuero.) nõ est græce fruitus, sed impletus fuero, ἐμπλησθῶ.

Et ut obsequij mei oblatio accepta fiat in Hierusalem.) græce est, & ut ministerium meum acceptũ fiat in Hierusalẽ. Interpres uoluit pluribus uerbis quod esset illud ministerium explicare: quod uidelicet erat portaturus Hierusalem collationem, quæ græce dicitur cõmunionem, κοινωνίαν, quam Macedoniæ & Achaiæ facere placuerat. Vtq; hoc uerbum placuit,
εὐδοκέω. quod nunc est græce εὐδόκησαν, uariauit latine dicendo etiam probauerunt, sic uerbum siue uocabulũ
διακονία. hoc: nam nunc græce nomen est καὶ ἵνα ἡ διακονία μου, superius alio uocabulo, quod magis proprium erat, transtulit inquiens: Nunc igitur proficiscar Hierusalem

rusalem ministrare sanctis διακονῶν. Illud omitto, quod graece non legitur igitur, sed autem: nec proficiscar, sed proficiscor, νυνὶ δὲ πορεύομαι. Omitto quoque illud, quod non legitur graece gentiles, sed gentes, in illo: nam si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles, τὰ ἔθνη. hoc participes respondet ad illud superius cõmunionem: nam graece dicitur cõmunicauerunt gentes ἐκοινώνησαν. Quinetiã illud non omittendũ est, hoc est significandum, minuta non omnia me persequi. Refrigerer uobiscum.) quod graece est requiescam, siue refociller uobiscum: imò in futuro refocillabor, siue requiescam, συναναπαύσομαι. Addam & illud: In abundantia benedictionis.) quod graece dicitur, in plenitudine benedictionis, ἐν πληρώματι εὐλογίας. Quia graece dicitur benedictio eulogia, quidam usurpant hoc nomen pro oblationibus, quae in ecclesia fiunt. Gratianus ut doctus in iure ciuili, quia ibi legit elogia, quod male à multis legitur per diphthongũ eulogia, putat oblationes neutro genere appellanda eulogia: putat inquam, quia sic usurpat ignarus graecae ueritatis. Et illud omitto. εὐλογία

CAPUT XVI.

QVae in ministerio ecclesiae.) qđ graece dicitur, quae est ministra, οὖσαν διάκονον. Qui est primitiuus Asiae in Christo.) Quidã hoc noie putãt

ſignificari hominis dignitatem: ſed huius erroris in cauſa eſt interpres, qui primitiuus dixit pro primitiæ, ἀπαρχή. Salutate Mariam, quæ multum laborauit in uobis) in nobis legendum eſt, ſiue erga nos εἰς ἡμᾶς. Mariàm accentu in ultima legendum eſt μαριάμ. Salutate Andronicum, & Iuliam) Iuniam legendum eſt, ἰουνίαν. Per dulces ſermones & benedictiones) per dulcem ſermonem & benedictionem, legendum eſt, διὰ τῆς χρηστολογίας καὶ εὐλογίας. Deus autem pacis conterat ſatanam ſub pedibus ueſtris) melius in ijs codicibus ubi legitur conteret, συντρίψει. Rariſſimi codices Græci habēt hoc: Ei autem qui potens eſt uos confirmare iuxta euangelium meum, & prædicationem Ieſu Chriſti ſecundum reuelationem.

FINIS.

LAVRENTII

LAVRENTII VALLAE ANNOTATIONES in epistolam Pauli ad Corinthios primam.

CAPVT I.



Aulus uocatus apostolus Christi Iesu) ut superius admonui, non est accipiendũ uocatus pro dictus, κλητὸς, sed sicut paulò post, uocatis sanctis, κλητοῖς. Qui inuocant nomen domini nostri Iesu Christi in omni loco ipsorum, & nostro) melius erat, in omni loco suo, sed uox græca non nunquam fallit interpretem, quæ est primitiua, casus genitiui, pluralisq; numeri, αὐτῶν. Gratia uobis & pax à deo patre, & domino Iesu Christo) græce ambiguum est, an sic accipiendum sit, an domini Iesu Christi, καὶ κυρίου ἰησοῦ χριστοῦ. gratia hic χάρις eodem uerbo dicitur, quo statim post: in gratia quæ data est uobis, ἐν χάριτι, sed non eodem quo illic: ita ut nihil uobis desit in ulla gratia, χαρίσματι. quod uerbum nonnunquam interpres transfert donum, ut ibi: unusquisq; proprium donum habet, χάρισμα: quodq; non semper transfert, ut illud: Aemulamini charismata meliora, χαρίσματα. Sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem scientia.) Melius le

Vocatus.

gitur in quibusdã codicibus, & eadem sententia, γνώμη. Ne quis dicat, quod in nomine meo baptizati estis.) melius, in nomine meo, siue in nomen meum, est enim græce casus accusatiui, baptizaui. Neque enim multi eorũ ad quos scribebat Paulus, ab hoc fuerant baptizati, ut potuerit quis dicere illos, hoc est multos à Paulo in nomen suum fuisse baptizatos, εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα ἐβάπτισα. Ne euacuetur crux
Euacuare. Christi.) Mallẽ ego dicere per nomen, ne inanis fiat crux Christi, quàm per uerbum euacuetur siue exinaniatur. Vasa enim euacuantur quæ plena sunt, aut similia, per metaphoram & exinaniuntur, κενωθῇ.

Et prudentiam prudentiũ reprobabo.) græce intelligentiam intelligentium, σύνεσιν τῶν συνετῶν.

Vbi sapiens, ubi scriba, ubi conquisitor huius seculi.) Cur non potius disputator huius seculi, sicut sæpe transfers, συζητητής. Videte enim uocationem uestram fratres.) Cur non potius uidetis, cum sequatur coniunctio causalis? græce nanq; ambiguum est βλέπετε. Erit enim sententia: Etenim uidetis uerũ esse, deum non elegisse potentes in mundo, sapientesq;, sed imbecilles & insipientes ex uocatione uestra, id est, ex uestro exemplo, qui imbecilles estis, insipientesq;.

CAPVT II.

Non in persuasibilibus humanæ sapientiæ uer-
Suasibile. bis.) Ego dixissem, non in suasorijs: nam sua-
Suasoriũ. sibile esse materiæ est, suasoriũ aũt sermonis seu orationis

tionis: & oratio ſuadet, res aũt perſuadetur. Certe oratio & uerba nõ perſuadẽtur. Dixi ſermonis ſeu orationis potius quàm uerbi: id eſt, dicturũ me fuiſſe nõ ſuaſorijs humanæ ſapiẽtiæ ſermonibus ſeu orationibus, quia paulò ante dixit interpres: Nõ in ſublimitate ſermonis aut ſapientiæ: nam utrobiq; idem eſt nomen, logos, ibi ſic λόγȣ, hic ſic πειθοῖς λόγοις.

Nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit deus, qui diligunt illũ.) Interpres nõ animaduertit uerbũ græcũ, etſi numeri ſingularis, tamen fuiſſe transferẽdũ pluraliter, ut facit Hiero. in epiſt. ſuper pentateuchum, nec in cor hominis aſcenderunt: ut appareat aut nõ eſſe hũc interpretẽ Hieronymũ, aut eius interpretationẽ fuiſſe corruptam. Idem uitiũ paulò poſt.

Animalis aũt homo nõ percipit ea quæ ſunt ſpiritus dei, ſtultitia enim eſt illi.) Nõ enim ſic accipiẽdũ eſſe opinor, ut pleriq; accipiũt, quod ideo homo nõ percipit quæ ſunt ſpiritus dei, qa ineſt ei ſtultitia, ſed quia illa quæ ſunt ſpiritus dei, ſunt ſtultitia homini, ſicut ſuperius dicitur: Iudæis quidẽ ſcandalũ, gentibus aũt, ſeu potius Græcis ſtultitiã.) ἕλλησι. Nec ſimplex eſt uitiũ hoc, ſed geminatũ: nã idem dico de eo qđ ſequitur: Et nõ poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinatur.) dicendũ enim erat examinantur, uidelicet ea quæ ſunt ſpiritus dei. Nõ in doctis humanæ ſapiẽtiæ uerbis, ſed in doctrina ſpũs ſpũalia cõparantes.) deeſt ſancti, ut ſit ſpiritus ſancti πνεύματος ἁγίȣ.

Cur uariauit interpres græcum uocabulum? nam sic legitur græce: non in doctis humanæ sapientiæ uerbis siue sermonibus, sed in doctis spiritus sancti: quasi in humana sapientia sint uerba, in spiritu autem sancto doctrina, quod non ita est. ideoq; ego sic transtulissem: non in doctis uerbis humanæ sapientiæ, sed in doctis uerbis spiritus sancti, siue in doctis sermonibus, οὐκ ἐν διδακτοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, ἀλλ' ἐν διδακτοῖς πνεύματος ἁγίου. Quis cognouit sensum domini, nisi spiritus domini, qui instruit eum?) Quidam codices habent; quis enim cognouit sensum domini, aut quis instruit eum? neutrũ recte: sed ita legendum est: Quis enim cognouit sensum siue mentem, νοῦν, domini, qui instruet eum, siue docebit eum? τίς γὰρ ἔγνω νοῦν κυρίου, ὃς συμβιβάσει αὐτόν;

CAPVT III.

Et ego fratres non potui uobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus tanquam paruulis in Christo.) Quid hæc uariatio per quasi & tanquam, nisi quod putat interpres hæc idem pollere? qđ non est ita, quia nunc nõ conuenit quasi. Quibusdam in codicibus legitur spiritalibus, quod ratio negat, q̃a talia deriuata à quarta declinatione postulant u, ut usualis, manualis, censualis, casualis. Tanquam paruulis in Christo lac uobis potum dedi, non escam.) Magis ad uerbũ transtulit Ambrosius: lacte uos potaui,

Deriuata à quarta declinatione.

taui, non esca, γάλα ὑμᾶς ἐπότισα καὶ οὐ βρῶμα. Scite interpres, ne diceretur potaui uos esca, usus est uerbo potui escæq; apto. uerum an poßit dici potaui uos esca, an intelligi debeat aliud uerbum, in medio relinquo. Quid igitur est Apollo? quid uero Paulus? ministri eius cui credidistis.) Græce nõ est quid, sed quis, τίς οὖν, τίς δὲ: neque ministri eius cui credidistis, sed, uerũ ministri per quos credidistis: ἀλλ' ἢ διάκονοι δι' ὧν ἐπιστεύσατε. Dei enim sumus adiutores.) Quis potest adiuuare deum? an deus indigere auxilio potest? græce est cooperarij: & ita lego apud Augustinũ, συνεργοί. Si quis autem templum dei uiolauerit, disperdet illum deus: templum enim dei sanctum est, quod estis uos.) Violat in præsenti indicatiui est, nõ uiolauerit φθείρει. Interpres non seruauit gratiam, pondusq; apostolicæ facundiæ in uerbi geminatione: nam sic græce dicitur: Si quis autem templum dei destruit, destruet hunc deus. sed interpres uolens uti uocabulo uiolat, non potuit dicere: quia absurdum erat, uiolabit eum deus, φθερεῖ αὐτὸν ὁ θεός. Nec legendum est, quod estis uos, sed qui estis uos, quod & latinius dicitur: & græce sic habetur οἵτινές ἐστε ὑμεῖς. Quare illud superius, Fundamentum enim nemo aliud potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus) mallem dicere, qui est, ut græce legitur: etsi ambiguũ propter fundamentum, quod est apud illos generis masculini, illo loco, ὅς ἐστιν.

CAPVT IIII.

*Mihi autem pro minimo eſt, ut à uobis iudicer
aut ab humano die, ſed neq; meipſum iudico,
nihil enim mihi conſcius ſum, ſed nõ in hoc iuſtificatus
ſum. Qui aũt iudicat me, dominus eſt: itaq; nolite an
te tempus iudicare.)* Nam eſt idem *uerbũ in illis iudi
cer,* ἀνακριθῶ, *& iudico* ἀνακρίνω, *& iudicat* ἀνα-
κρίνων, *quod in hoc iudicate* κρίνετε. *Si nõ eſt idem
græce uerbũ, cur eodem latine transtulit?* E diuerſo
idem græcũ ἀνακρίνω, *cur transfert diuerſis latinis?
ut in illo:* Spiritualis *iudicat omnia, & ipſe à nemine
iudicatur,* ἀνακρίνει, ἀνακρίνεται. *nam quæ mea de
fenſio eſt apud eos qui me interrogant,* ἀνακρίνουσι.
& iterum: Nihil *interrogantes propter conſcientiã,*
ἀνακρίνοντες. Ego *ne pluribus immorer, iudicate ad
uerbum optime translatum ſentio: cætera quæ græce
uno uerbo dicuntur, ego maluiſſem trãsferre per uer
bum diſcutio, ſiue diſcerno, ſiue ſcrutor, ſiue aliud ſi-
mile. nam id quod paulò poſt ſequitur:* Quis *enim te
diſcernit, ego dixiſſem, quis enim te dijudicat,* διακρί
νει. Vt *in nobis diſcatis, ne ſupra quàm ſcriptum eſt
unus aduerſus alterũ infletur) pro alio, deeſt aliquan
tulum in latino: nam ſic græce legitur, non ſupra id*
quod *ſcriptũ eſt ſentire, id eſt de uobis ſentire, ne unus*
pro *altero infletur aduerſus alterum: quod ſic transtu
liſſem, ne quis pro altero aduerſus aliũ inflemini,* τὸ
μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν, ἵνα μὴ εἷς ὑπὲρ τοῦ
ἑνὸς.

ἐνὸς φυσιοῦσθε. *Sine nobis regnatis, & utinā regnaretis) græce est, regnastis, & utinam regnassetis,* ἐβασιλεύσατε, καὶ ὤφελόν γε ἐβασιλεύσατε. *Maledicimur & benedicimus: persequutionē patimur, et sustinemus: blasphemamur, & obsecramus.)* Non seruauit græcam uenustatem latina translatio, nec inficias eo non posse hunc locum proprie transferri, quia nos caremus participio præsentis passiuo, etsi nonnunq̄ participio præteriti in eundem effectū utimur, ut si dicamus: Infestati finitimorū incursibus, semper in armis sumus, oppugnati resistimus, lacessiti obuiā imus: id est, cum infestamur, cū oppugnamur, cum lacessimur. ita nunc ad uerbū transferendo licebat dicere, uituperati siue contumelia affecti benedicimus: exagitati sustinemus, blasphemati obsecramus. Aut per aliquā uiciniam, ut modo dicebam: Cum maledicimur benedicimus, cū persequutionē patimur, sustinemus, cū blasphemamur obsecramus. Aut per participia actiua cū quodam conflexu: male audientes benedicimus, persequutionem patientes sustinemus: blasphemiam audientes obsecramus: nam illud fortasse durius, maledicentibus benedicimus, persequentes sustinemus, blasphemantes obsecramus. Certe nunquā fecissem, ut copula quæ in græco non est uterer, λοιδορούμενοι εὐλογοῦμεν, διωκόμενοι ἀνεχόμεθα, βλασφημούμενοι παρακαλοῦμεν.

Participiū præsentis passiuum.

Facti sumus omniũ peripsima.) Miror cur hoc nomen non transfert interpres, si minus per unum uocabulum, certe per plura: nõ enim nomen est, quod pro latino acceptum sit, hoc est, cuius significatio aperta sit, cum præsertim scribi latine nõ poßit περίψημα, ac ne pronunciari quidem forte suo accentu. Ego uel sic dixissem: facti sumus omniũ puluis uestigiorũ.

CAPVT V.

Tollatur de medio uestrum, &c. Modicum fermentum totam massam corrumpit. Expurgate uetus fermentum, ut sitis noua consperſio.) Dignitatem orationis apostolicæ perdit interpres, sua res uariandi affectatione: nam sic græce habetur: nescitis quod modicũ fermentum totam cõsperſionem fermentat? An maluit nunc dicere corrumpit quàm fermentat? quia sic nunc accipiundum est, hoc est, opus exponentis, non transferentis sensum profundiorem aperire. Sed cur Paulus nunc de corrumpendo loquitur magis quàm de fermentando? non enim corrumpit fermentum, quod græce dicitur zyma, sed tantũ facit farinam non esse azymam. Alioqui non diceretur in euangelio: Simile est regnum cœlorũ fermento, quod acceptũ mulier abscondit in farinæ satis tribus donec fermentaretur totũ.) Itaq; non dixit Apostolus: Expurgate fermentum, sed uetus fermentum: & mox iterum: Itaq; epulemur nõ in fermento ueteri, neq; in fermento malitiæ & nequitiæ,) quia uidelicet

Fermentũ.

delicet est aliquod fermentum bonum, & non uetus: quod non esset, si omne fermentũ (nam uniuersalis est illa sententia) corrumperet. Nõ esse dicendum massam, sed conspersionem, superius satis admonui: quod nunc turpius dicitur, quia statim post sequitur conspersio, quasi aliud significans quàm massa. Vnde quidam super hunc locum aiunt: Conspersio est farina, per aquam conglutinata, sine fermento. Idem & azyma, graece enim utrunq; dicitur φύραμα, & fermentare quasi zymare, ζυμοῖ. Etenim pascha nostrum immolatus est Christus) deest apud nos, pro nobis, dicitur enim graece: etenim pascha nostrũ pro nobis immolatus est Christus, ὑπὲρ ὑμῶν. Credo interpretẽ omisisse hãc particulã, hallucinatũ similitudine dictionum, quia graece nostrũ ὑμῶν, & nobis ὑπὲρ ὑμῶν eadem uox est. Itaq; epulemur non in fermẽto ueteri.) Non est in graeco, epulemur, sed diem festũ agamus, id est agamus diem festum paschalem, ἑορτάζωμεν. Auferte malum ex uobis ipsis) de homine loquitur, non de re: est enim malum hic generis masculini, τὸν πονηρόν. Ideoq; maluissem ego apertius loqui, uel auferte scelestum, uel sontem, uel noxium, uel facinorosum, uel alio modo. Conspersio

CAPVT VI.

AN nescitis, quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt?) nescio quare & hic τὸν κόσμον κρινοῦσι: & superius, Quid enim mihi de his qui fo-

ris sunt iudicare? nam de ijs qui intus sunt uos iudicatis, τί γάρ μοι καὶ τοὺς ἔξω κρίνειν; οὐχὶ τοὺς ἔσω ὑμεῖς κρίνετε, per ablatiuum locutus est potius, quàm ut est græce, sancti hunc mundum iudicabunt, & eos qui foris sunt iudicare, nónne eos qui intus sunt uos iudicatis? quale est quod sequitur: Nam eos qui foris sunt deus iudicabit. Illud transeo, me sic potius illam particulam fuisse trãslaturum: Quid enim mea, etiam eos qui foris sunt iudicare? Et si in uobis iudicabitur mundus, indigni estis qui de minimis iudicetis: nescitis quoniam angelos iudicabimus, quãto magis secularia?) Nonnihil interpres à græco desciuit in parte quidem priore pereleganter: nam græce ad uerbum dicitur, indigni estis minimis iudicijs, ἐλαχίστων κριτηρίων. In posteriore autem licentius, nam ego nõ dixissem, quanto magis secularia, sed nedum quæ ad uictum, seu ad uitam pertinent: non enim est græce, quanto magis, sed μήτιγε, neque secularia: sed si uno uocabulo liceret dicere, βιωτικὰ diceremus uitalia, siue ut quodam loco Ambrosius ait, uictualia. Idem dico de proximo loco: Secularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles, qui sunt in ecclesia, illos constituite ad iudicandum) nescio an melius transferatur constituitis, nam græce dictio anceps est, καθίζετε. nam si uellet Apostolus cõtẽptos in ecclesia homines sedere iudices, cur subiungeret, ad uerecundiam uestram dico, seu potius ad pudorẽ,
seu

seu confusionem, ἐντροπὴν? Sic non est inter uos sapiens quisquam qui possit iudicare inter fratrem suum) quid est hoc quod ait ad eos in pudorem adducendos, siccine non est inter uos sapiens quisquam? non enim sapientes sunt contemptibiles, siue contempti in ecclesia, ἐξουθενημένους, ergo tales ad iudicandum sunt eligendi. hæc sententia si uerior est, non fuit trāsferenda, igitur, sed itaq;, μὲν οὖν, nec habueritis, sed habeatis, quanquam hoc parum interest, ἔχετε. Mutaui uerecundiam in confusionem, quia uerecundia est timor quidam honestus, reducens animum ab aliqua re facienda. Interdum hic timor non usq; quaq; probabilis, de quo significato non loquitur hic Apostolus. Et idem græcum uocabulum interpres pro confusione paulò ante usurpauit: Non ut confundam uos hæc scribo, ἐντρέπων. Quædam minutiora omitto. Vereců̄dia.

Et hæc quidem, sed abluti estis) non ait Apostolus Corinthios fuisse illa omnia, fornicarios, idolis seruientes, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, auaros, ebriosos, maledicos, rapaces, tanquam omnes tales fuissent, sed quosdam, & idcirco legēdum est, quidam, non quidem: & nescio qui temerarij corruperunt, καὶ ταῦτά τινες ἦτε. Omne enim peccatum quodcunq; fecerit homo, extra corpus est: qui autē fornicatur, in corpus suum peccat.) Cur non potius, in corpore suo peccat, ut sit apertior sentētia, cū possit per ablatiuum transferri græcus accusatiuus?

ut ſupra memini: quale eſt, ne longe exempla repe-tam: Erunt enim, inquit, duo in carne una: cũ ſit græce, in carnem unã, εἰς σάρκα μίαν. Quod ſi reſpondeas fuiſſe hoc transferendũ potius, in carnem unam: quid illud quod proxime attuli ex euangelio, In farinæ ſatis tribus, εἰς ἀλεύρου σάτα τρία, nonne accuſatiuus græcus eſt? ita hæc ſententia cum illa ſequente congruet. Glorificate & portate deum in corpore ueſtro.) Non legitur græce, portate: ut hoc ſuperfluũ apud nos, ita illud deeſt, & in ſpiritu ueſtro quæ ſunt dei: δοξάσατε δὴ τὸν θεὸν ἐν τῷ σώματι ὑμῶν καὶ ἐν τῷ πνεύματι ὑμῶν ἅτινά ἐστι τοῦ θεοῦ, hoc eſt, quod corpus noſtrum, & ſpiritus noſter ſunt dei, non noſtra: quod conuenit cum præcedenti.

Et nõ eſtis ueſtri, empti enim eſtis precio magno.) Optimi Græcorum codices nõ habent illud, magno: neq; enim attinet nunc loqui de precij magnitudine, quantulumcunq; fuerit preciũ, eo eſtis empti: ideoq; non ueſtri, ſed ſerui eſtis: quod probat ille longe poſt locus, precio empti eſtis, nolite fieri ſerui hominum. Illud paruum eſt adnotandũ: An neſcitis, quoniam membra ueſtra templũ eſt ſpiritus ſancti?) etſi numeri ſingularis græce eſt, tamen transferendũ fuiſſe pluraliter, templum ſunt, quia ſuppoſitum plurale eſt. Neq; enim idem nobis licet quod Græcis, quod ſuperius admonui, ut plurali ſuppoſito, ſi fuerit generis neutri, detur uerbũ numeri ſingularis. Noſtri tamen

Licentia Græcorũ.

non-

nonnunquam eadem licentia uerbum non principali, id est praecedēti supposito, sed uiciniori accōmodant: ut Poëta in Bucolicis: Nihil hic nisi carmina desunt: ubi magis grammatice, nescio an magis latine dixisset, si ratio metri passa fuisset: nihil hic nisi carmina deest. Sunt etiam qui uelint simile esse illud eiusdem in alio opere, Hic illius arma, hic currus fuit: sed illic manifestum est zeugma.

CAPVT VII.

De quibus autem scripsistis mihi, bonum est homini mulierem non tangere: propter fornicationem autem unusquisq; suam uxorem habeat, & unaquaeq; suum uirum habeat. Vxori uir debitū reddat, & uxor uiro. Mulier sui corporis potestatem nō habet, sed uir: similiter autem sui corporis potestatē non habet uir, sed mulier.) Apud Graecos γυνὴ, tam mulierem significat quàm uxorem, sicut ἀνὴρ, tam uirum quàm maritū, ut etiam apud nos uir. Sed cur interpres cū non uariauerit γυνὴ, uariauit ἀνὴρ, nunc mulier, nunc uxor transferendo? uerum hoc recte fecerit. Cur autem in illo non dixit, uxor potius quàm mulier sui corporis potestatem non habet? An ea mulier, quae non est uxor, non habet potestatem sui corporis? ergo dicendū erat, uxor. forsitan in omnibus dicendum erat mulier: hoc est, nunquam uariandum nomen, ut graece fit. Nam quid esset, unusquisq; suam uxorem habeat, & unaquaeq; suum uirum habeat? γυνή. ἀνήρ. Vir.

nempe unaquæq; uxor. Atqui superuacuum est adde re, ut uirum habeat ea quæ uocata est uxor. At quomodo stabit, unusquisq; suam mulierem habeat? An non est concubina mulier? id non obstat, quia antecedit, propter fornicationem scilicet deuitandam, quæ non deuitatur in concubina: & quia dicitur suam, id est propriam: non enim est alicuius propria concubina, utpote quæ libera est. Propterea cum dicis, unusquisq; uxorem habeat, ociosum est addere suam, nisi forte excludere uelit eam quæ alterius est uxor. Verũ cum dico, dilige uxorem, intelligo tuam, quanquam illud nõ addo. Neq; uero græce dicitur, uxori uir debitum reddat, sed debitam beneuolentiam reddat, ὀφειλομένην εὔνοιαν. Dico autem non nuptis & uiduis, bonum est illis si sic permaneant.) Nuptis generis masculini est, & si subintelligi quoq; de fœminis possit: ne audiamus qui hoc putant dici tantum de fœminis quæ uiris carent. Nam qui carent uxoribus, dicuntur cœlibes, etiamsi sint scortatores, τοῖς ἀγάμοις. ad mares uel magis referri hoc, etsi parum proprie dicantur mares nubere, ut apud Plautum, nouus nuptus, probat id quod sequitur: iis autem qui matrimonio iuncti sunt, non dixit, quæ iunctæ sunt.

Cõcubina.

Cœlibes.

Præcipio non ego, sed dominus, uxorem à uiro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut uiro suo reconciliari: & uir uxorẽ ne dimittat.) Cur non dixit & uirũ uxorẽ non dimittere? aut si sic maluit

luit dicere, cur non & illa itidem transtulit, Maneat innupta, aut uiro suo reconcilietur? ut græce habet, μενέτω ἄγαμος ἢ τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς καταλλαγήτω. Tribulationẽ aũt carnis habebunt eiusmodi.) Quidam exponũt carnis pro rebus necessarijs, quod non facerent si scirent græce non esse genitiuum, sed datiuum, id est ablatiuum nostrum, τῇ σαρκί. Et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur) græce est abutantur, siue ut ad uerbum traducam, & utẽtes hoc mundo uti non abutentes, καὶ οἱ χρώμενοι τῷ κόσμῳ τούτῳ, ὡς μὴ καταχρώμενοι.

CAPVT IX.

NVnquid non habemus potestatem sororem mulierem circunducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres domini, & Cephas?) quid opus est addere mulierem, cum dictum sit sororem? quare puto transferendum fuisse uxorem, cum præsertim dicatur numero singulari, γυναῖκα. ex quo datur intelligi fuisse apostolos suas uxores comitatas, quas ideo appellat sorores, quod tanquam non uxores iam erant. Aut solus ego & Barnabas non habemus potestatem hoc operandi) græce abest, hoc, sed sic legitur, potestatem non operandi, τοῦ μὴ ἐργάζεσθαι. Nõ, enim mutatũ est in, hoc. Et qui triturat in spe fructus percipiendi) græce est, spei suæ participandi in spe, τῆς ἐλπίδος αὐτοῦ μετέχειν ἐπ' ἐλπίδι.

Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de
sacrario sunt edunt? & qui altari deseruiunt, cũ alta
rio participãtur?) Ego & uerius & nitidius transe
tulissem: Nescitis quod ij qui sacra faciunt, è templo,
siue è sacro uescuntur, siue edunt? qui altari assident,
altaris participes sunt, siue de altari participant? Sa-
Sacrum. crum tam templum quàm rem sacram significat: nõ-
nunquam, ut in iure ciuili, furari sacrum de sacro, id
est rem sacram de templo, οὐκ οἴδατε ὅτι οἱ τὰ ἱε-
ρὰ ἐργαζόμενοι ἐκ τοῦ ἱεροῦ ἐσθίουσιν; οἱ τῷ θυσια-
στηρίῳ προσεδρεύοντες τῷ θυσιαστηρίῳ συμμερί-
Remigius. ζονται; Hoc loco Remigius sacrariũ ad idola, alta-
Tho. Aqui. re ad deum refert. quem & item Thomam Aquina-
tem, non dico homines nõ sanè excultos, neq; ita mul
tum bonis literis eruditos, sed ignaros omnino lin-
guæ græcæ, miror ausos cõmentari Paulũ græce lo-
quentem, præsertim post tot Græcos cõmentatores,
& latinos eiusdẽ linguæ peritos. Et postea aiunt Pau-
lum sese post confecta cõmentaria Thomæ exhibuis-
se testificantem à nemine magis, quàm à Thoma in-
tellectũ. Etiám ne magis quàm à Basilio, Gregorio
Nazianzeno, Chrysostomo? quid Græcos dico?
etiam magis quàm ab Hilario, Ambrosio, Hiero-
nymo, Augustino? peream nisi id commentitium.
Nam cur eum Paulus non admonuit erratorũ suorũ,
cum ob alia, tum ob ignorantiam linguæ græcæ? Hæc
res faceret mihi fidem, Paulum huic apparuisse, sicut
eũdem

eundem apostolū apparuisse Ambrosio, & loculum Loculus
Geruasij & Protasij patefecisse, ipsius rei ueritas in- Geruasij et
dicauit. At ij quos modo nominaui, nollēt à se dici cō Protasij.
mentarios illos esse factos, nedum crederetur à Paulo apostolo tantopere fuisse comprobatos. Nam cū liber essem ab omnibus, omnium me seruum feci, ut plures lucrifacerem: & factus sum Iudæis tanquam Iudæus, ut Iudæos lucrarer: ijs qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, cum ipse non essem sub lege, ut eos qui sub lege erant, lucrifacerem: ijs qui sine lege erant, tanquam sine lege essem, cum sine lege dei non essem, sed in lege essem Christi, ut lucrifacerem eos qui sine lege erant. Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerē. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem saluos.) Græce illud non legitur, cum ipse non essem sub lege: sed aliquis de suo adiecit quasi necessariū. Nescio cur sic interpres transtulerit potius quàm sic, ut Iudæos lucrer siue lucrifaciam, κερδήσω, quasi sub lege sim: cum dicat per tempus præsens indicatiui, ijs qui sub lege sunt. Item cum nunc per indicatiuum transferat, postea transfert per subiunctiuum: cum dicere deberet, eos qui sub lege sunt lucrifaciam, ijs qui sine lege sunt, tanquam sine lege sim. Abest à græco uerbum siue participium, à sequenti non abest. μὴ ὢν ἄνομος. Ideoq; dicendum, tanquam sine lege sim, cum sine lege non sim, sed in lege sim Christi, ut lucrifaciam eos qui sine lege sunt. Item factus sum

infirmis infirmus ut infirmos lucrifaciã: omnia omnibus factus sum, ut omnes saluos faciam) hoc autẽ quod dico probat id quod sequitur: Omnia autem facio propter euangelium, ut particeps eius efficiar.) In præsenti efficiar dixit, non in futuro. Omnis qui in agone contendit) superuacua est præpositio. Est enim Agon certamen, nõ locus, diciturq́; nunc græce agonissans, ἀγωνιζόμενος. Non sic pugno quasi aërem uerberans) uidetur interpres accipere pugnare pro pugnis certare, quia qui cæstibus pugnant, pugnis utuntur, siquidem πυκτεύω, est pugnis certo. Melius ergo illi, quorum est Ambrosius, qui transferunt, percutio pugnis. Nam quis alioquin intelligat hoc, quasi aërem uerberans, non aërem uerberans ait, id est nõ frustra pugnos iaciens, sed hostem uerberans, qui est diabolus, aut corpus.

Agon.

πυκτεύω.

CAPVT X.

Tentatio non apprehendat uos nisi humana) apprehendit legendum est temporis præteriti nõ apprehẽdat, εἴληφεν. An æmulamur dominũ?) quidam hoc exponunt quod inuidemus domino, quæ sententia longe abest à uero: sed forsitan est culpa interpretis, qui παραζηλοῦμεν maluit interpretari æmulamur, quàm ad æmulationem prouocamus, siue irritamus, siue ad æmulationem adducimus, ut ibi: Si quo modo ad æmulationẽ prouocem carnem meam, παραζηλώσω. & ibi: Ad æmulationẽ uos adducam,

παρα-

παραζηλῶσω. Ideoq; respōdet huic sententiæ quod sequitur, nunquid illo fortiores sumus, scilicet ut cum illo contendamus? Omne quod in macellum uenit) melius in alijs codicibus legitur, in macello. est enim uenit idem quod uenūdatur, πωλούμενον. Si quis autē dixerit: hoc immolatū est idolis, nolite māducare propter illū qui indicauit & propter cōscientiā: cōscientiam autem dico non tuam, sed alterius.) Cur ait conscientiam tuam, cū alloquatur multos, & non uestram? græce est, conscientiam dico non ipsius, sed alterius, τὴν ἑαυτοῦ. Nam si legendum est, non tuā, sed alterius, hoc est eius qui indicauit, cur tanquam diuersa posuit, propter illum & propter conscientiam? cur non dixit, propter illius conscientiam? non dixit autē propter cōscientiam illius, quia ille conscius erat, nos non in reuerentiam idolorum comedere idolothyta, sed propter ignorantiam. Si cui hæc non placet sententia, dicamus dictū esse tuam pro uestrā, quia ad singulos loquebatur, et Attice, τὴν ἑαυτοῦ, pro τὴν σεαυτοῦ.

CAPVT XI.

OMnis autem mulier orans, aut prophetans nō uelato capite, deturpat caput suum. Vnū est enim atque idipsum si decaluetur. Nam si non uelatur mulier, & tondeatur. Si uero turpe est mulieri tonderi, aut decaluari, uelet caput suum.) Male in plerisque codicibus aufertur, atque idipsum, quod Latinius transfertur idem, τὸ αὐτό. Sed cur dixit

decaluetur & decaluari, potius quàm deradatur & deradi: τῇ ἐξυρημένῃ ξυρᾶσθαι. Ideo debet mulier uelamen habere super caput suum propter angelos.) Melius ij codices, qui habent, ideo debet mulier potestatem habere, ἐξουσίαν. Vos ipsi iudicate, decet mulierem non uelatam orare deum? nec ipsa natura docet uos, quod uir quidem, si comam nutriat, ignominia est illi, mulier uero si comam nutriat, gloria est illi: quoniam capilli pro uelamine ei dati sunt) græce est, in uobisipsis iudicate, ἐν ὑμῖν αὐτοῖς, & an nec ipsa, siue an ne ipsa quidem natura docet uos? ἢ οὐδὲ αὐτὴ φύσις. Reliquam partē sic transtulissem, quod uiro quidem si comatus est, dedecus est ei: mulieri aūt si comata, honori ei est. quoniam coma pro uelamine data est illi. Nō dixi, capilli: tum quia græce est coma, tum quia non sunt uiro capilli interdicti, sed prælōgi capilli, quam uocat apostolus comam, tum quia capilli ad uirilem formam attonsi non decent fœminam, ὅτι ἀνὴρ ἐὰν κομᾷ, ἀτιμία ἐστὶ αὐτῷ, γυνὴ δὲ ἐὰν κομᾷ, δόξα ἐστὶν αὐτῇ ὅτι ἡ κόμη. Vnusquisq; aūt suam cœnam præsumit ad manducandum) græce est, in manducando, ἐν τῷ φαγεῖν. Aut ecclesiam dei contēnitis) ego dicerē an, potius quàm aut. Quid dicam uobis? laudo uos? in hoc non laudo) græce est, laudabo uos in hoc, ἐπαινέσω. Accepit panem & gratias agens fregit & dixit: Accipite & manducate, hoc est corpus meū quod pro uobis tradetur) græce est,

re est, & cũ gratias egisset, εὐχαριστήσας, neq; est co pula inter uerba imperatiua, sed tantũ, accipite come dite, λάβετε φάγετε, neq; sequentiũ uerborum idem ordo, sed hic, hoc meũ est corpus, τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα. Verum quod maximum est, nõ dicitur, quod pro nobis tradetur, sed quod pro uobis frãgitur, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον, quod congruit cum illo ex actibus Apostolorum: Quotidie quoq; erãt unanimiter perseuerantes in templo, & frangentes circa domos panes, pro eo quod est dantes panem quem frangant. Hoc facite in meam commemorationem.) Pleriq; accipiunt commemorationem, ut dicimus commemorationem defunctorũ, & ut omnes ueteres accipiebant pro mentione, ut apud Terentium: Nam isthæc commemoratio quasi exprobratio est immemoris beneficij. At nunc significat recordationem: quare licet græce sit meam, non mei: tamen quia illa non differũt apud eos ut apud nos, quemadmodum in opere de elegantia probaui, dicerem potius mei, ad significãdam passionem, sic, in mei recordationem, siue in mei memoriam, εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. Quotiescũq; biberitis in meam commemorationem) quidam hũc locum corrumpunt dicẽtes, bibitis, πίνητε, eodem modo corrumpunt sequentem: Quotiescunq; enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis) legendum est manducaueritis & biberitis, ἐσθίητε, πίνητε. Sed hoc leuius est. Quod si uosmetipsos dijudicaremus.

Commemoratio.

non utiq; iudicaremur.) græce est, si enim, εἰ γὰρ, nec addendum fuit, utiq;, nemo enim ueterum sic transtulit, οὐκ ἂν ἐκρινόμεθα. CAP. XII.

NEmo in spiritu dei loquens, dicit anathema Iesu, & nemo potest dicere dominus Iesus, nisi in spiritu sancto) græce & pro Iesu, & pro dominus Iesus, utrobiq; est casus accusatiuus, ἰησοῦν, κύριον ἰησοῦν. Alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum.) Aliquis existimans non recte bis scribi linguarum, mutauit in sermonum, græce aūt linguarū legitur nō sermonū, γλώσσων, quod probat id quod paulò post sequitur: Nunquid omnes linguis loquūtur? nunquid omnes interpretātur?) uidelicet linguas. & iterū: Nā maior est qui prophetat quàm qui loquitur linguis, nisi interpretetur ut ecclesia ædificationē accipiat.) Ergo interpretatio ad linguas refertur: ut errent qui aiunt hanc interpretationem pertinere ad prophetiā, ueluti si quis è græco aut Hebræo in latinū, aut econuerso interpretetur: & illā aliam interpretationē quæ ad sensum profundū eruēdū pertinet, habere donū linguarū: hæc peccāt qui græca ignorāt

Etenim ī uno spiritu oēs nos in unū corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue Gētiles, siue serui, siue liberi, et oēs in uno spiritu potati sumus) græce est in unū spiritū, εἰς ἓν πνεῦμα. aut si trāsferre uolumus, in uno spiritu, necesse est ut per ablatiuum & illud trāsferamus, in uno corpore. Siue Iudæi, siue gentiles) dicendo, pa-

do, parũ cõstãs est interpres, qui eandẽ dictionẽ nũc Graeci, nunc Gentiles transfert. Sed in idipsum pro inuicem solicita sunt membra.) Melius in quibusdam codicibus legitur idipsum sine praepositione, ut nihil dicãt q exponũt in unitatẽ corporis. Sed nõnihil causae in interprete est, q maluit dicere solicita sint, quàm curẽt. Ego sic transferrẽ, sed idẽ mutuo curẽt mẽbra, ἀλλὰ τὸ αὐτὸ ὑπὲρ ἀλλήλων μεριμνῶσι τὰ μέλη.

Siue gloriatur unũ membrum, congaudent omnia mẽbra,) legendũ est, nõ ut quidã sentiunt quod de bonis suis gaudeat, quemadmodũ de homine gloriabundo dicimus quod gloriatur, sed ut est apud Ioãnẽ: Clarifica nomẽ tuũ, & clarificaui, & iterũ glorificabo, δόξαζον, nã idẽ est uerbũ δοξάζεται, ergo dicẽdũ fuit, siue clarificatur, siue honorificatur. Vos estis corpus Christi et mẽbra de mẽbro) quid est mẽbra de mẽbro? graece aũt est, mẽbra ex parte, uidelicet quod oẽs qui boni sumus, sumus mẽbra Christi ex parte, μέλη ἐκ μέρους. Forsitan interpres incuria deceptus est, qd̃ putauit scriptum, ἐκ μέλους, λ pro ρ legens.

CAPVT XIII.

FActus sum uelut aes sonãs, aut cymbalũ tinniẽs) Non legitur graece uelut, sed aliquis tanquã necessarium adiecit, γέγονα χαλκὸς ἠχῶν. Nõ cogitat malum) non id significat quod cogitat de malefaciendo, sed quod non putat malum de alijs. Ideo dixissem, non putat malum, siue ut solet interpres,

non reputat malum, οὐ λογίζεται κακὸν. Sunt alia minora, sed in quibus nonnulli errant. ut in illo: Charitas patiẽs est) quod uidelicet patiatur iniurias, græce est, ut more interpretis trãsferam, charitas longanimis est, μακροθυμεῖ. & in illo: Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas.) Hic quidam laudant uirtutem distribuendi, quæ nunc græce non nominatur, sed dicitur, sed si conuertam, uel alijs modis, ψωμίσω. & in illo: Siue scientia destruetur) καταργηθήσεται, ubi idem est uerbum quod illic, siue prophetiæ euacuabuntur. & illic: Euacuabitur qđ ex parte est. Sed melius illic quàm hic usurpatur hoc uerbum. Et si dicatur paulò post, Euacuaui quæ erãt paruuli: quod transferri non potest destruxi, sed uel aboleui, uel missa feci. & alijs item modis, & itidem superiora. Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc, maior autem horum est charitas) græce manet, non manẽt, μένει. Quidã codices habent harum, quod uidetur fuisse dicendum horum, ut ad illud tria hæc referatur. Sed si dicimus horum, dicendum erit maius, sed græce non est generis neutri μείζων. hoc loquendi periculum fugiemus, si dicamus his, græce enim ambiguum est τούτων. Sed maior his si dicimus, uidetur maior esse seipsa charitas. Ego puto transferendum fuisse maior harum.

CAP.

CAPVT XIIII.

Quomodo scietur id quod canitur, aut quod citharizatur?) Nunquid quod citharizatur, non canitur? Cur ergo dixit, quod canitur, aut quod citharizatur? graece est, quod canitur tibia, & ut ad uerbũ barbare trãsferã, quod tibiatur: quare sic trãstulissem, ne quid insolens & graecanicum admiscerẽ, quo modo scietur quod tibia canitur aut cithara? αὐλούμενον ἢ κιθαριζόμενον. Tam multa utputa genera linguarum sunt in hoc mundo, et nihil sine uoce est) graece est, & nullum eorum, οὐδὲν αὐτῶν ἄφωνον. Praeterea uocum, non linguarum, φωνῶν, quod nescio an interpres mutauerit in linguarum, an alius, ne diceretur, nullum genus uocum sine uoce est. Ego transferrem, & nullum absonum est, siue absurdum: quod uidelicet omnis uox habet locum suum, & suã gratiam. ideoq; sequitur: Si ergo nesciero uirtutẽ uocis, ero cui loquor barbarus, & qui loquitur mihi barbarus) est aũt graece, in me. Illud mihi magis trãsferrẽ, apud me, ἐν ἐμοί. Barbarus imperite quidã exponũt, nesciẽtes graecũ esse nomẽ, et proprie significare non graecus. unde illud Graeci & Barbari postea significatio dilatata, ut est apud Quintilianũ in barbarismo. Qui loqtur lingua, oret ut interpretetur.) Aut est sententia, ut oret deum non ad hoc obtinendũ ut interpretetur: sed si aliqua lingua preces ad deum faciat, sic faciat ut eius linguae interiorem sensum in- Barbarus.

terpretetur, ideoq́; sequitur: Nam si orem lingua, spiritus meus orat, mens aũt mea sine fructu est) hoc est spiritus meus propter donũ linguæ precibus utitur, sensus aũt animi mei sine fructu est, quia nõ intelligit profunda ad interpretandũ alijs. Quod aũt idem sit mens & sensus animi, patet: quia quod nunc dicitur mens, νοῦς, idẽ paulò post ab interprete trãsfertur sensus. Sed in ecclesia uolo quinq; uerba sensu meo loqui, quàm decẽ millia uerborum in lingua) νοός. Aut ut oret deum, ad hoc obtinendum ut quod una lingua loquitur, altera quæ illorum est quos alloquitur, interpretetur, id quod sentit, ne mens eius sine fructu sit, sed alios instruendo ædificet, & tunc fiet quod sequitur: Quid ergo est? orabo spiritu, orabo & mẽte: psallam spiritu, psallam & mente) id est orabo deum spiritu, orabo & sensu atque intellectu, ut ab his qui audiunt, intelligar & sentiar. Item psallam non modo spiritu, sed etiam mente ac sensu, quod sentiam me intelligi ab his qui audiunt. Alioqui quomodo is qui nescit quid dicam, respondebit amen super benedictione mea? id est in oratione & cantione mea, hoc enim est psallere sine gratiarum actione. Verum non nihil uerba sequentia discrepant à græca ueritate.

Mens, Sensus.

Cæterum si benedixeris spiritu, quis supplet locum idiotæ? quomodo dicet amen super benedictione tua? quoniam quid dicas nescit.) Nam ἐπεὶ, potius significat quoniam quàm cæterum, uerum hoc parui refert: illud

Illud quod pluris refert, ipsa inspectio literæ indicat, non quis legendum esse, sed qui, ut etiam quidam codices habent. Sed quid sibi uult illud, is qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet amen? ego mallem dicere, qui implet, aut qui replet, hoc est qui non plus loci implet quàm idiota, non qui locum supplet alterius. Nam si suppleret, utique sciret quid diceres, cum ipse idiota non sit, ὁ ἀναπληρῶν. Nec dicendum est super benedictione, sed super gratiarumactione tua, quod probat id quod sequitur: Nam tu quidem bene gratias agis, ἐπὶ τῇ σῇ εὐχαριστίᾳ, εὐχαριστεῖς. Siue lingua quis loquitur secundum duos, aut multum tres) & melius & uerius transferat, plurimum, siue ad summum, quàm multum, πλεῖστον. Si quis autem ignorat, ignorabitur) græce secus est: Si quis autem ignorat, ignoret, εἰ δέ τις ἀγνοεῖ ἀγνοείτω.

CAPVT XV.

ET gratia eius in me uacua non fuit) græce est, & gratia eius quæ est in me, ἡ εἰς ἐμέ. Clarius etiam translatum fuisset inanis, quàm uacua, κενὴ. Huic simile est quod statim sequitur: Non autem ego, sed gratia dei mecum.) Quomodo non ego si gratia dei mecum? Igitur dicendum est, gratia dei quæ est mecum, ἀλλ' ἡ χάρις τοῦ θεοῦ ἡ σὺν ἐμοί, ut nihil dicant qui hanc uocant gratiam dei cooperantem. Paulus enim sibi hoc nõ tribuit, sed

totum à deo refert acceptũ. Primitiæ Christus, deinde ij qui sunt Christi, qui in aduentu eius crediderunt, deinde finis) græce non est his, qui, nec crediderunt, sed sic: deinde ij qui sunt Christi in aduentu eius, deinde finis, ἔπειτα οἱ τοῦ χριστοῦ ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ, εἶτα τὸ τέλος. Nouissime autem inimica destruetur mors) ego maluißẽ dicere, nouissimus autem inimicus. Nõ ideo hoc dico, quia græce ita habet, nam græce mors generis est masculini: sed quia solidior & cõsuetior sermo est si dicatur inimicus, quàm inimica, ἔσχατος ἐχθρός. Aut elegantius, profligabitur nouissimus hostis: mors namq; non potest dici inimicus, sed hostis. Non enim potest mors habere amorem aut odium, unde quis dicatur amicus aut inimicus, sed oppugnare, quod est hostium. unde apud Curtium de quibusdam barbaris, qui negabant se fuisse inimicos Alexandro, sed hostes: & apud Sallustium de his quæ inter caddauera hostium repperérunt alius amicum, alius inimicum. Idem autem est hic uerbum destruetur, seu potius destruitur, καταργεῖται, quod ibi euacuauerit, καταργήσῃ. Quotidie morior propter uestram gloriam.) Melius in quibusdã codicibus legitur per. Est enim mos iurandi Græcis per aduerbium, ut apud Latinos per si: ut cum dicimus, si qua fides, si quid mihi creditis, si homo sum. aliquando nomen dei coniungunt, ut νὴ Δία, tale est hoc iusiurandum Apostoli, quale cum iurat illud in ueritate.

Inimicus.
Hostis.

Si iurandi.

tate. Neq; nunc accipienda est gloria illa, quæ dicitur δόξα, sed gloriatio, καύχησις. nec ut quidam faciunt legẽdum est uestram, sed nostram, ἡμετέραν. Manducemus & bibamus, cras enim moriemur.) Melius in nonnullis æditionibus legitur, morimur, ἀποθνήσκομεν. Hoc prouerbium fertur esse Laconicum, etsi eo Esaias utitur. Corrumpunt mores bonos colloquia praua.) Non est græce colloquia, id est mutua colloqa, sed alloquia, siue loquelæ, siue sermones: quo nomine iam pro latino utimur homiliæ, ὁμιλίαι. Euigilate iusti & nolite peccare.) Ociosum est hortari iustos ad euigilandum, & ad non peccandum. Ergo legẽdũ est iuste, δικαίως: præsertim cũ sequatur: Ignorantiam enim dei quidam habent. Ad reuerentiam enim uobis loquor) imò ad pudorẽ, ad руborẽ, ad confusionem, πρὸς ἐντροπήν. Deus autem dat illi corpus sicut uult, & unicuiq; seminum proprium corpus) sicut uoluit legendum est, ἠθέλησεν. Et corpora cœlestia, & corpora terrestria: sed alia quidem cœlestium gloria, alia autem terrestrium: alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarũ, stella enim à stella differt in claritate.) Idẽ nomẽ est græce pro gloria & pro claritate, uidelicet illud quod proprie trãsfertur gloria, δόξα. ueritus est opinor, interpres dicere, alia gloria solis, alia gloria lunæ, alia gloria stellarum: sed mihi quiddam maius significare uidetur gloria, siue maiestas, siue dignitas. nam sic

quodq; transferri potest, quàm claritas: utcunq; sit, ego tamen non putassem uariandas uoces, cum id Apostolus ipse non faciat. Ecce mysterium uobis loquor, omnes quidē resurgemus, sed non omnes immutabimur) quod latine affirmatur hoc loco, id græce negatur rursus: quod latine negatur, hoc græce affirmatur, sed uno uerbo diuerso: dicit enim, omnes quidem non dormiemus, sed omnes immutabimur, quod etiam Hieronymus testatur, πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, ἀλλαγησόμεθα. Idem quoque probant sequentia: Et mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur) quod uidelicet erunt qui non morientur. Cui adstipulatur locus ille ad Thessalonicenses: Si enim credimus quod Iesus mortuus est, & resurrexit, ita & deus eos qui dormierunt per Iesum Christum, adducet cum eo. Hoc enim uobis dicimus in uerbo domini, quod nos qui uiuimus, qui residui sumus in aduentu domini, nō preueniemus eos qui dormierunt: quoniā ipse dominus in iussu, in uoce archangeli, & in tuba dei descendet de coelo: & qui in Christo sunt resurgent primi, deinde nos q uiuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cū illis in nubibus obuiā Christo in aëra: & sic semper cū Christo erimus. ecce quod non omnes dormiemus. Quidam autem, quorū est Augustinus, uolunt eos qui residui erūt in aduentu domini, mori, et subito reuiuiscere: quasi ueniēte Christo, qui est uita nostra, cū mortui ad eū aduentū uitam recipiant

recipiant, ij qui uitā habent amittant, cū præsertim dicat Paulus: Non tantū qui residui sumus, sed etiā qui relinquimur, id est qui reliqui erimus à mortuis. Et quod resurrectio atq; immutatio fiet in ictu oculi, quasi credibile sit aliquos & morituros & reuicturos in ictu oculi. Quod si non omnes moriemur, quomodo oēs immutabitur? nunquid & mali immutabuntur? quid ni? ut boni excellentiori corpore donabūtur, ita mali deteriori. Et nihilominus magna est corporū immutatio, ut non possint ullis ignibus cremari, neq; ullis supplicijs ab anima seiungi. In momēto in ictu oculi) græce, in atomo, ἀτόμῳ, qđ est in indiuisibili, quale dicūt esse punctū. Neq; puto dici in ictu, sed in nictu, id est in uno motu oculi ῥιπῇ. Vbi est mors uictoria tua? ubi est mors stimulus tuus?) græce aliter est, hoc est sic trāsferri debet, ubi tuus mors stimulus? ubi tua inferne uictoria? ποῦ σοῦ θάνατε τὸ κέντρον; ποῦ σοῦ ᾅδη τὸ νῖκος; Deo autē gratias, qui dedit nobis uictoriā per dominum nostrum Iesum Christum) græce est, deo autem gratia, q dat, χάρις τῷ διδόντι.

CAPVT XVI.

De collectis aūt quæ fiunt in sanctos, sicut ordinaui ecclesijs Galatiæ, sic et uos facite per unā sabbati) de collecta, legēdū est, quæ fit & per unā sabbatorū, περὶ δὲ τῆς λογίας τῆς εἰς τοὺς ἁγίους, κατὰ μίαν σαββάτων. Recōdēs qđ ei bene placuerit)

non est græce, bene placuerit, sed quod facile sit, siue quod leue sit, siue quod facile factu sit, siue quod bene cedat, ὅτι ἂρ εὐοδῶται. Ostium mihi apertum est magnum & euidens) & efficax dicendum erat, non enim dicitur ἐναργὲς, sed ἐνεργὲς, et aliud est ἐνέργεια, quod est euidentia & illustratio, & aliud ἐνάργεια, quod est efficacia, siue effectio, nisi forte ita scribi græce debuit. Veniet autem cum ei uacuum fuerit) imò cum opportunũ erit, sine illo ei uel sibi, ὅταρ εὐκαιρείσῃ. Salutatio mea manu Pauli) hoc dici latine non potuit, manu mea Pauli, ut in alio opere disserui, τῇ ἐμῇ χειρί.

FINIS.

LAVRENTII VALLAE ANNOTATIONES in epistolam Pauli ad Corinthios secundam.

CAPVT I.



GRatia uobis & pax à deo patre nostro, & domino Iesu Christo.) An sic, an domini Iesu Christi, ut in alia epistola dixi, legẽdum sit, anceps est, κυρίου ἰησοῦ χριστοῦ. Et deus totius

conso-

consolationis, qui cōsolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt per exhortationē qua exhortamur ipsi à deo.) Quidam putāt aliud esse exhortationē quàm consolationē: hoc cuius erroris in culpa est interpres, qui idem nomen uarie transfert: nam illud totius consolationis dicitur πάσης παρακλήσεως, et hoc per exhortationem dicitur διὰ τῆς παρακλήσεως, & ita in reliquis. Ideoq; superuacuò addunt, siue exhortamur pro uestra exhortatione & salute. quod graece non legi, ex eo probatur quod dixi, quod eadem forēt graece uerba. Vt ex multarum personis facierū eius quae in nobis est donationis, per multos gratiae agantur pro uobis.) Non est graece utrunq;, personis & facierum, quae ambo & apud illos, & apud nos idem significāt, dico personam siue faciem, πρόσωπον. hūc locum, nam perplexe translatus est, sic transtulissem: ut de gratia in me ex multis personis, siue respectu multorum collata, per multos gratiae agantur propter uos, ἵνα ἐκ πολλῶν προσώπων τὸ εἰς ἡμᾶς χάρισμα διὰ πολλῶν εὐχαριστηθῇ ὑπὲρ ὑμῶν. Sed in gratia dei cōuersati sumus in hoc mundo, abundantius aūt ad uos) melius diceretur, apud uos, πρὸς ὑμᾶς. Cum ergo hoc uoluissem, nunquid leuitate usus sum? aut quae cogito secundum carnem cogito, ut sit apud me, est & non? fidelis autem deus quia sermo noster qui fit apud uos non est in illo est, & non. Dei

enim filius dominus Iesus Christus, qui in uobis per nos prædicatus est, per me & Siluanū & Timotheū, nō fuit in illo est & nō, sed est in illo fuit. Quotquot enim promissiōes dei sunt in illo est, ideo & per ipsum amen dico ad gloriam nostram) græce est: Hoc igitur uolens, nunquid leuitate usus sum? aut quæ consulo, secundum carnem consulo? ut sit apud me etiam, quod est etiā, & nō quod est nō. Fidelis aūt deus, quod sermo noster apud nos nō fuit etiā & nō. Dei enim filius dominus Iesus Christus, qui in uobis ꝑ nos prædicatus est per me & Siluanū & Timotheū, nō fuit etiam & nō, sed etiā in ipso fuit. Quotquot aūt promissiones dei sunt, in ipso etiā sunt, & in ipso amen deo ad gloriam per nos. Nihil hic obscuri est nisi in insolētia dictionis indeclinabilis, etiā, de qua superius disputaui, præsertim cum nos careamus articulo, quem Græci habēt. Itaq; in illo, sed etiam in ipso fuit, subintelligas in ipso etiam, non ut quidam imperite referūt, in illo siue in ipso ad Christum. τοῦτο οὖν βουλόμενος, μήτι ἄρα τῇ ἐλαφρίᾳ ἐχρησάμην; ἢ ἃ βουλεύομαι, κατὰ σάρκα βουλεύομαι; ἵνα ᾖ παρ᾽ ἐμοὶ τὸ ναὶ, ναὶ, καὶ τὸ οὒ, οὔ. πιστὸς δὲ ὁ θεὸς ὅτι ὁ λόγος ἡμῶν πρὸς ἡμᾶς οὐκ ἐγένετο ναὶ καὶ οὔ. ὁ γὰρ τοῦ θεοῦ υἱὸς ὁ κύριος ἰησοῦς χριστὸς, ὁ ἐν ὑμῖν δι᾽ ἡμῶν κηρυχθεὶς δι᾽ ἐμοῦ, καὶ σιλαυανοῦ, καὶ τιμοθέου. οὐκ ἐγένετο ναὶ καὶ οὔ, ἀλλὰ ναὶ ἐν αὐ-

τῷ

τῷ γέγονεν. ὅσαι γὰρ ἐπαγγελίαι θεοῦ, ἐν αὐτῷ τὸ ναὶ καὶ ἐν αὐτῷ τὸ ἀμὴν τῷ θεῷ πρὸς δόξαν δι' ἡμῶν. Qui & signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris) nunc pignus græce dicitur arrabo, quo quidam iam tanquam latino utuntur: ut Plautus in Mustellaria, & in Penillo, ἀρραβῶνα.

CAPVT II.

NAm et ego quod donaui) si quid donaui, legẽdũ est: nã & ego, siue etenim ego si quid donaui, cui donaui, καὶ γὰρ ἐγὼ εἴ τι κεχάρισμαι ᾧ κεχάρισμαι. Et ad hæc quis tã idoneus?) abest à græco tam, ratioq; ostẽdit abesse debere, ne sit sentẽtia arrogantior: dicitur autem, & ad hæc quis idoneus? τίς ἱκανὸς, siue quis sufficiens? ut paulò post: Non quia sufficientes sumus cogitare aliquid ex nobis, tanquã ex nobis, sed sufficientia nostra ex deo est, ἱκανοὶ, ἱκανότης. Mutaui quasi in tanquam, quia quasi improprium erat. Non enim sicut plurimi adulterantes uerbũ dei, sed ex synceritate, sed sicut ex deo) primum sicut propriũ est, ultimũ impropriũ, quippe in quo nõ est similitudo, ideoq; dicẽdũ uelut, seu tanquã: dixi ultimũ, quia græce ter dicitur ὡς, bis ubi ostẽdi, & tertio ubi dicitur, hoc est ubi dici debet, sed tãquã ex synceritate. Neq; græce dicitur adulterantes, sed cauponantes, quo uerbo usum Ennium Cicero in testimonium citat, non cauponantes bellum, sed belligeran- Cauponari

tes. Estq; hoc loco uenustior metaphora cauponari quàm adulterare, καπηλεύοντες.

CAPVT III.

QVi & idoneos nos fecit ministros noui testamẽti non litera, sed spiritu.) Quid sibi uult, fecit nos ministros non litera, hoc est per literam? Quis enim minister factus est per literam? certe nemo. ergo dicendum: qui fecit nos ministros non literæ, quod est uetus testamẽtum, sed spiritus, quod est nouum testamentum: quia litera ueteris testamenti occidebat, spiritus eiusdẽ, quod est nouum testamentum, uiuificat, οὐ γράμματος, ἀλλὰ πνεύματος. Quod si ministratio mortis literis deformata in lapidibus fuit in gloria.) Hoc loco nihil dicerem, nisi propter nonnullos qui exponunt participium deformata, nunc perfecte, nũc imperfecte formata. græce est, in literis informata, ἐν γράμμασιν ἐντετυπωμένη. Sed interpres

Deformata

noluit loqui elegantius deformata pro formata, ut demolitur pro molitur, deosculatur pro osculatur, licet in exponẽdo uerbo depositũ Vlpianus uelit de augere, nũc aũt nõ auget, nec ad hoc respexit interpres ueteres sequutus, ut est apud Quintilianũ: Marmora deformata prima manu. Nam nec glorificatum est quod claruit in hac parte propter excellentem gloriam.) Transferam & ipse hunc locum meo arbitratu, deinde exponam: Neq; enim glorificatum est id quod fuit in hac parte propter excellentem gloriam. & est

sensus:

sensus: Testamentum uetus, & lex Mosaica, etsi gloriosum fuit, tamen quantum ad hunc locum pertinet, id est, comparatum cum nouo, non debet haberi pro glorioso, propter gloriam illi praecellentem: καὶ γὰρ οὐ δεδόξασαι τὸ δεδοξασμένον ἐν τούτῳ τῷ μέρει, ἕνεκεν τῆς ὑπερβαλλούσης δόξης. Et non sicut Moyses ponebat uelamen super faciē suam, ut non intenderent filij Israël in faciē eius quod euacuatur.) Nescio quo pacto mutatum sit finem in faciem. Sic enim legitur graece: In finem eius quod euacuatur, siue destruitur. nisi propter affinitatem literarum, quae sunt in finem, & in faciem, εἰς τὸ τέλος. Sed obtusi sunt sensus eorum.) Ego maluissem dicere caecati, quia de caecitate Israël nunc agitur, ἐπωρώθη. & sensus nūc proprie diceretur sensa, quae sunt mentis: Sed caecata sunt sensa eorum, τὰ νοήματα. Nos uero omnes reuelata facie gloriam domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquàm à domini spiritu) nusquam repperi speculari à speculum, ut hic est, sed à specula, quanquam graece magis est significatio passiua, κατοπτριζόμενοι: hoc est, illuminati gloriam domini, tāquàm specula quae lumen accipiunt, sic enim Graeci intelligūt. Neq; apud eos legitur, in eādem, sed sine praepositione; neq; aliud nomen est à claritate in claritatem, quàm gloria, ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν, hoc est, ut illi exponunt, à gloria diuinitatis in nostram. Quidam ex-

Speculor.

ponunt claritatem alio modo, recedentes à significatione græcæ dictionis: sed erroris eorum, ut dixi, in culpa est interpres uarie transferens. Sed cur nõ possit dici, à domino spiritu? nam incertum quo modo accipiatur, an etiam tertio modo, qui mihi minus probatur, à domino spiritus, ἀπὸ κυρίου πνεύματος.

CAPVT IIII.

Non adulterantes uerbum dei) non idem hic quod superius est græce uerbum, sed quod à dolo descendit, δολοῦντες, hoc est dolose utentes uerbo, seu sermone dei. Quia deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris.) Legendum est, qui illuxit, uidelicet, quia deus est qui dixit, qui illuxit, ὃς ἔλαμψεν. Ad illuminationem scientiæ claritatis dei in facie Iesu Christi.) Desino amplius loqui de claritate, quæ eadem dicitur gloria siue maiestas, δόξης. Sed cur magis in facie quàm in persona, προσώπῳ. ut in illo superiori, si quid donaui in persona Christi, προσώπῳ. Habentes autem thesaurum istũ in uasis fictilibus, ut sublimitas sit uirtutis dei, & non ex nobis. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed nõ destruimur: persequutionẽ patimur, sed nõ derelinquimur: deijcimur, sed nõ perimus.) Melius in quibusdã codicibus legitur, habemus aũt, ἔχομεν: nec legẽdũ est, ut sublimitas sit uirtutis dei, sed ut sublimitas uirtutis sit dei, & nõ ex nobis, hoc est uirtutis nostræ. Nec

tam

tam sublimitas transferendũ fuit, quàm excessus, siue supergressio, ἵνα ἡ ὑπερβολὴ τῆς δυνάμεως ᾖ τοῦ θεοῦ. Nec graece est tribulationẽ patimur, sed ꝑ participiũ, et ita ĩ sequẽtibus, quae est multo amoenior oratio sic: in oĩbus tribulati, sed nõ angustiati: aporiati, siue afflictati, sed nõ exaporiati, siue destituti, siue animo defecti: persequutionẽ patiẽtes, sed nõ derelicti, seu destituti: deiecti, sed nõ pereũtes. θλιβόμενοι, ἀλλ' οὐ στενοχωρούμενοι. ἀπορούμενοι, ἀλλ' οὐκ ἐξαπορούμενοι: διωκόμενοι, ἀλλ' οὐκ ἐγκαταλειπόμενοι: καταβαλλόμενοι, ἀλλ' οὐκ ἀπολλύμενοι. Vt gratia abundãs per multas gratiarũ actiões abũdet in gloriam dei) graece sic habetur, ut gratia multiplicata propter pluriũ gratiarũ actiones abundet in gloriã dei. πλεονάσασα διὰ τῶν πλειόνων εὐχαριστίαν. Id enim qđ in praesenti est momẽtaneũ & leue tribulationis nostrae) nõ legitur graece momẽtaneũ, sed tantũ leue, ἐλαφρόν.

CAPVT V.

EO quod nolumus expoliari, sed superuestiri) Spoliari est per uim, graece est exui, ἐκδύσασθαι, Spoliari. etiam melius dicatur superindui quàm superuestiri, ἐπενδύσασθαι, sicut dixerat paulò ante: Superindui cupientes, ἐπενδύσασθαι. Audemus autem & bonam uoluntatẽ habemus magis peregrinari à corpore, & praesentes esse ad deum, & ideo cõtendimus siue abeũtes siue praesentes placere illi.) Ego sic trãsferrem: Confidimus autem & praeoptamus peregrinari à corpore, & non peregrinari à domino, siue fo-

ris esse à corpore, & domi esse apud deum. Ideóque studemus, siue non peregrinantes, siue peregrinantes illi placere. Non possumus leporem græcorum uerborum exprimere, ἐκδημῆσαι, quod est in populo, siue domi suæ esse, & ἐνδημῆσαι, quod est domo & à suis abesse. Deo autem manifesti sumus, spero autē & in conscientijs uestris manifestos nos esse) græce est præteriti temporis, manifestati sumus, πεφανερώμεθα, & manifestos nos esse, πεφανερῶσθαι. Siue enim mēte excedimus deo, siue sobrij sumus nobis) Quidam putant excedere esse mente ad diuina transcendere, nunc autem dicitur cedere è mente, quod Græci appellant estasim, in quo nomine non est mens, sed extra se hominem: nunc autem Paulus hoc sentit, siue desipimus, deo desipimus, siue sapimus, nobis sapimus, ἐξέστημεν. Aestimantes hoc) græce est iudicantes, κρίναντας. Itaq; nos ex hoc neminem nouimus secundum carnem.) Neq; græco respondet, nec aperte dicitur latine: græce enim dicitur, ex nunc, siue secundum quosdam amodo, ἀπὸ τοῦ νῦν, latine dicimus posthac, deinceps, & secundum Curtium de cætero. Non reputans illis delicta ipsorum.) Mallem dicere, non imputans illis delicta sua, λογιζόμενος.

ἐκδημέω. ἐνδημέω. Excedere.

CAPVT VI.

Adiuuantes autem exhortamur uos) nō dicit Apostolus, ut quidā uolunt, adiuuātes uos, sed deum. At adiuuari deū ab homine, nephas dictu. isti

isti putãt, q adiuuari potius homines à Paulo uolũt. Sciant ergo hi se recte sentire, & græce esse cooperãtes, συνεργοῦντες. Sed in omnibus exhibeamus nos sicut dei ministros in multa patientia.) Cur non potius, sed in omnibus, siue in omni re commẽdantes nosmetipsos uelut dei ministros? ἀλλ᾽ ἐν παντὶ συνιστῶντες ἑαυτοὺς ὡς θεοῦ διάκονοι. Vt seductores & ueraces, sicut ignoti & cogniti: quasi morientes, & ecce uiuimus: ut castigati & non mortificati: quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.) Aiunt quidam docti plus inesse maiestatis in illa Homeri simplicitate, quàm gratiæ in illa Vergilij festiuitate: ubi ille græcos principes populosq́; hic Italos enumerat. Ita hoc loco mihi uidetur festiuitas hæc interpretis in uariandis dictionibus, ut nunc dicat quasi, nunc tãquam, nunc sicut, nũc ut, non tantũ decoris habere quantũ græca ipsa simplicitas, id est Paulina oratio sublimis, atq; urgens eiusdem dictionis repetitione, in principio sententiarum, hoc modo, ut seductores & ueraces, ut ignoti et cogniti, ut morientes & ecce uiuimus, ut castigati & non mortificati, ut tristes, sed semper gaudentes, ut egentes, multos tamen locupletantes, ut nihil habẽtes & omnia possidentes. Possemus itidem incipere per quasi, per tanquam, per uelut, sed non per sicut. Itaq; interpres dum more suo accersit gratiam uarietatis,

ostendit se non plene tenere significata harum dictionum, quas nil differre existimat.

CAPVT VII.

Quae enim secundũ deũ tristitia est poenitentiã in salutẽ stabilẽ operatur.) Nõ refertur stabilẽ ad salutẽ, sed ad poenitentiã, quod graece dicitur impoenitibilẽ, ἀμεταμέλητον, quanquã duo uocabula graeca, μετάνοια & μεταμέλεια differunt à nostro: nam poenitẽtia dicta est à poenitet, quod est taedet, uel piget. ut apud Vergil. Nec te poeniteat calamo triuisse labellũ. de quo uocabulo Aul. Gellius pro M. Tullio contra Asiniũ Pollionem disputat. Graeca uocabula dicta sunt à sensu retractãdo, & cura in melius mutanda, elegantior dictio, ut ait Lactantius, quàm nostra. Itaq; in nostro uerbo significatio est tristitia commissi, in graecis mentis emendatio. Quare nihil dicunt qui super hunc locum disputãtes, an tristitia idẽ sit quod poenitentia, aiunt triplicem esse poenitentiã; unam quae est contritio, alteram quae est confessio, tertiam quae est satisfactio. Quae sententia cum falsa sit, tum nihil ad explanandam sententiã Pauli faciens.

μετάνοια. Poenitẽtia.

CAPVT VIII.

ET altissima paupertas eorũ abundauit in diuitias simplicitatis eorũ: quia secundum uirtutẽ testimoniũ illis reddo, & supra uirtutẽ uolũtarij fuerũt.) Si interpres trãstulisset profundissima, nemo acceptisset hoc uocabulũ aut pro nobilissima, aut pro excellentissima,

uellētißima: uerū interpres accipit altissima pro profundißima, κατὰ βάθους, sicut alibi: O altitudo diuitiarū, pro eo quod est profunditas diuitiarū, quanquā nunc non est superlatiuum. si dixisset idem pro uiribus, & supra uires, nemo accepisset pro uirtute animi, nā δύναμις proprie uim, aut uires significat, siue potestatē, siue facultatē. Etiam illud uoluntarij græce dicitur αὐθαίρετος, quod quidam, non tamen priscorū, quod sciam, transferrent, nūc ultronei, nunc spontanei, quod frequentius dicitur ultro, aut sua sponte. δύναμις. αὐθαίρετος.

Non quasi imperans dico, sed per aliorum solicitudinem etiā uestræ charitatis ingenium bonū cōprobās) uix ullo in codice græco legitur bonum, ac ne ingenium quidē puto legendum, γνήσιον, quod ad Philippenses transfertur germanū, ubi dicitur, germane compar, σύζυγε γνήσιε. Forte interpres transtulit ingenuum pro ingenuitate: nos autem sciamus græce significari germanitatē quandam mentis, siue animi ingenuitatē, nec ingenium nominari. Illud autem comprobans, solet interpres sæpius transferre experiens, siue experimentum capiens, hoc est, δοκιμή, pro experimento, δοκιμάζων. Misimus aūt cū illo fratrem cuius laus in euangelio, non solum autem, sed & ordinatus ab ecclesijs comes peregrinationis nostræ) non dicitur latine, non solum autem, sine ullo uerbo, sed sic, neque id solum. Ordinatus non plane respondet græco χειροτονηθεὶς, quod est creatus,

uel electus, quod uerbum tractum est à tollēda manu in alicuius rei approbationem. In hac gratia quæ ministratur à uobis ad gloriam domini, & destinatā uoluntatē uestram) imò ad promptitudinem, seu alacritatem uestram in dando, προθυμίαν, quod uocabulum paulò post transfert: Scio enim promptum animum uestrum) προθυμίαν. & paulò ante: Quemadmodum promptus est animus uolūtatis) προθυμία. uoluntatis græce est uolendi, θελεῖν. Et mox: Si enim uoluntas prompta est, προθυμία. Hunc locum ridicule quidam exponunt destinatam uoluntatem prædestinatam à deo, qui prædestinauit ab æterno uos talē uoluntatem habere. Has ineptias effutiunt qui græcæ linguæ ignari exponunt è græco traducta. Prouidemus enim bona non solum coram deo, sed etiam coram hominibus) græce abest enim: nec uerbum est, sed participium, sic, prouidētes bona, προνοούμενοι.

προθυμία.

Siue pro Tito qui est socius meus & adiutor in uobis, siue fratres nostri apostoli ecclesiarū gloriæ Christi. Abest græce relatiuum, εἴτε ὑπὲρ τίτου κοινωνὸς ἐμὸς, sed sic, siue pro Tito socio nostro. Nec gloriæ genitiui, sed gloria nominatiui legendum est, δόξα. Nec intelligendum est, ut quidam sentiūt, apostoli miserunt, siue induxerunt hunc ad solicitudinem pro uobis habendam, sed quod hi sunt apostoli ecclesiarum Iudææ ad exigēdam collectam, missi inquam ab ecclesiis, non alterum mittentes.

CAP.

CAPVT IX.

NOn ex tristitia, aut necessitate) non est accipiendum ex necessitate pro necessario, & coacte, ut quidam uolũt: nõ enim præponeretur præpositio, sed ex indigentia. Quis enim cogebat dare Corinthios? ἐξ ἀνάγκης. Potens est enim deus omnẽ gratiam abundare facere in uobis) non est græce facere, ideoq; transtulissem: omnem gratiam suppeditare in uobis, περισσεῦσαι εἰς ὑμᾶς. Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandũ præstabit, & multiplicabit semen uestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ uestræ) græce legitur & alijs dictionibus, et optatiue sic: Qui autem ministrat semen seminanti, & panem in cibũ ministret, & multiplicet semen uestrum, augeat genimina iustitiæ uestræ. ὁ δὲ ἐπιχορηγῶν σπέρμα τῷ σπείροντι, καὶ ἄρτον εἰς βρῶσιν χορηγήσαι, καὶ πληθύναι τὸν σπόρον ὑμῶν, καὶ αὐξήσαι τὰ γεννήματα τῆς δικαιοσύνης ὑμῶν. Vt in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem) duæ dictiones redundant, ut & abundetis. Siquidem sic legitur græce: Locupletati, siue ditescentes, πλουτιζόμενοι. In omnem simplicitatem) dependet enim oratio ab illo superiori, abundetis in omne opus bonum.

CAPVT X.

NAm arma militiæ nostræ non carnalia, sed potentia deo ad destructionem munitionũ, consi-

lia destruẽtes.) Ego ad tollendã ambiguitatẽ dixiße, sed deo ualida ad demolitionẽ munitionũ, πρὸς καθαίρεσιν ὀχυρωμάτων, ut intelligatur munitiones bellicas esse, nõ alias, sicut ipse interpres fecit, qui pro cogitationes posuit cõsilia, ne foret ambiguũ, et lector illud destruentes referret potius ad cogitationes quàm ad nos, λογισμούς. Quæ secũdũ faciẽ sunt uidete) imò uidetis, est aũt græce ambiguũ, sed pleriq; græcorũ etiã interrogatiue legũt, ut imperatiuũ esse nõ possit, βλέπετε. Nõ enim audemus inserere, aut cõparare nos quibusdã, qui seipsos cõmendãt, sed ipsi in nobis nosmetipsos metiẽtes, et cõparãtes nosmetipsos nobis, nos aũt nõ in immẽsum gloriabimur.) Multũ hoc differt à græca ueritate, quæ est hæc: Sed ipsi se apud se metiẽtes, & cõparantes seipsos secũ nõ intelligũt, nos aũt &c. ἀλλ' αὐτοὶ ἐν αὐτοῖς ἑαυτοὺς μετροῦντες καὶ συγκρίνοντες ἑαυτοὺς ἑαυτοῖς οὐ συνιοῦσιν. Hoc quod dico cõfirmant Augustini in lib. de ciuitate uerba, dicẽtis: Et fit illis, qđ ait Apostolus: comparãtes enim semetipsos sibimetipsis, nõ intelligũt.

CAPVT XI.

Vtinã sustineretis modicũ qđ insipiẽtiæ meæ) nõ legitur græce quid: hoc aũt totũ sic trãsferrẽ: utinã susciperetis parumper insipientiam meã, uel utinã susciperetis me parũper ꝓpter insipiẽtiã meã, ὄφελον ἀνείχεσθέ μου μικρὸν τῇ ἀφροσύνῃ. Timeo autem ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua.

sua, ita corrumpantur sensus uestri, & excidant à simplicitate quæ est in Christo Iesu) non legitur græce, & excidant, quod aliquis ideo adiecit quod absurdũ uidebatur, corrũpatur à simplicitate quæ est in Christo: quæ absurditas in græco fonte non timetur, quia non dicitur ὑπὸ, sed ἀπὸ. Hoc periculum deuitari poterat ab interprete, si fuisset usus uerbo quod uulgo uocatur inchoatiuum, quod à passiuo non differt, nisi quod non postulat ablatiuum cum præpositione à uel ab, ut calefio à sole, non autẽ calesco à sole: ita nũc dici poterat, ne tabescãt, ne marcescant, ne exolescãt, si modo hæc uerba sint accommodata. Illud autem νοήματα maluissem transferre sensa quàm sensus: nam solet transferri cogitationes, à mente enim deriuatur, siue ab intelligendo, ut superius dixi. Existimo enim nihil me minus fecisse à magnis apostolis) ego sic transferrem: Existimo enim nihilo me inferiorem fuisse præcellentibus apostolis. μηδὲν ὑστερηκέναι τῶν ὑπὲρ λίαν ἀποστόλων. Et si imperitus sermone, non tamen scientia) Propter hoc quod interpres ait, imperitus sermone, quidam exponunt quod Paulus erat balbus, & impedita lingua, quasi dicatur impedito sermone. Homines uere impedito sermone, atq; adeò impedita scientia, qui sic sentiunt & loquũtur; Græce legitur idiota uerbo, siue sermone, ἰδιώτης τῷ λόγῳ. Aut nũquid peccatũ feci?) græce est, an peccatum feci, ἢ ἁμαρτίαν. Nã huiusmodi

pseudoapostoli.) Non est legendum pseudo, sed sine o, ut sit una dictio. Pseudo enim nihil est, sed in cõpositione, ut in pseudopropheta, in pseudochristo, atq; in cæteris sic dicitur: quia ut nos i utimur in cõponẽdo, ut in armiger, primipilaris, mellifluus, ita Græci utũtur o, ut discophorus, protomartyr, Timotheus, Theophylus, Allophylus, ψευδαπόστολοι. Vt ego modicum quid glorier) græcanice loquutus est modicum quid, pro aliquantulum, siue aliquantisper, μικρόν τι.

Pseudo.

In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum) græce in duobus prioribus idem aduerbium est abundantius, περισσοτέρως. In tertio quoq; græce dicitur uno aduerbio, quod nõ habens interpres, dixit duabus dictionibus. Aliquis barbarus transtulisset excessiue, quod aduerbium respondet græco ὑπερβαλλόντως. hoc ideo dixi quod non est accipiendum, ut quidam uolunt, supra modum humanæ uirtutis. A Iudæis quinquies quadragenas una minus accepi) græce est quadraginta, τεσσαράκοντα, ut subaudiatur plagas, quia sequitur una minus: latinius tamen dicitur, quinquies undequadraginta accepi, hoc est, una dẽpta de quadraginta: qui mos loquendi à Græcis ad nos traductus est.

Excessiue.

CAPVT XII.

SI gloriari oportet, non expedit quidẽ) græce nõ legitur aduerbium, si, & uix ullo in codice uerbum oportet, sed dictio quædam aduerbialis, siue coniunctiua

iunctiua

iũctiua, uix uel aliqd tale significãs, δὴ, quæ simillima est in literis & sono uerbo oportet, δεῖ. nec legitur græce quidem, sed mihi, ἐμοὶ, ut sit: gloriari nõ expedit mihi. Et audiui arcana uerba quæ non licet homini loqui) græce est ineffabilia uerba, ἄῤῥητα. Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet, propter quod ter dominũ rogaui) græce est, & superlatione, siue excellentia reuelationum ne extollar, datus est mihi stimulus, siue sudes carni, siue in carne, angelus satan, ut me colaphizet ne extollar, καὶ τῇ ὑπερβολῇ τῶν ἀποκαλύψεων ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι ἐδόθη μοι σκόλοψ τῇ σαρκὶ, ἄγγελος σατᾶν, ἵνα με κολαφίζῃ, ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι, ὑπὲρ τούτου. Nam uirtus in infirmitate perficitur) græce est, nam uirtus mea. Cum quo congruit quod sequitur de uirtute Christi: Libẽter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me uirtus Christi) δύναμις μου, græce est libentissime, hoc est cum maxima uoluptate, igitur magis gloriabor, ἥδιστα οὖν μᾶλλον καυχήσομαι. Nihil enim minus fui ab his qui sunt supra modũ Apostoli, tametsi nihil sum, tamen signa apostolatus mei facta sunt super uos) dixi superius quomodo transferendum erat illud, minus fui: hoc autem quod dicitur apostolatus mei, græce nõ ita legitur, sed signa apostoli, τοῦ ἀποστόλου. Ecce tertio hoc paratus sum uenire ad uos) non hic, sed pan

id post legitur, hoc tertio, cũ dicitur: Ecce tertio hoc uenio ad uos, τρίτον τοῦτο ἔρχομαι. Non dicitur latine, tertio hoc, quia tertio non est nomẽ: quid igitur hac tertia uice? non repperi apud elegantissimos autores in hãc significationẽ accipi uicẽ. Ego mallẽ dicere: Ecce iam tertio uenio, siue quod græco magis respondet, tertium. Olim putatis quod excusemus nos) nõ est legendũ olim, sed iterũ, πάλιν. forte interpres putauit se legere propter similitudinẽ literarũ, πάλαι, quod significat olim.

Vicem.

CAPVT XIII.

AN experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?) Non legitur græce interrogatiue, nec per an siue aut, sed per quoniã, ἐπεί. Præterea male additur eius, quasi multi sint Christi. Postremo nec græco respondet, nec latine dicitur Christus, cum præcedat eius. Ego sic ad uerbum transtulissem: Quoniam documentum quæritis in me loquẽtis Christi, τοῦ ἐν ἐμοὶ λαλοῦντος χριστοῦ. Dixi documentum pro comprobatione & experimento, quod forte dicatur elegantius specimen, & id respondeat magis ad significatum græci nominis, documentum magis ad sonum: quod nescio cur quidam accipiant pro doctrina, ut in hymno, & antiquum documentũ nouo cedat ritui. Oramus aũt deum uiuum) græce non pluraliter, sed singulariter: nec oro, sed opto: nec deũ, sed ad deũ, seu apud deũ uiuũ, εὔχομαι δὲ πρὸς τὸν

Documẽtũ

τὸν θεόν. Paulò post pluraliter legitur, hoc & oramus uestrã cõsummationẽ) optamus legẽdũ est, εὐχόμεθα. Vt nõ præsens durius agã) græce est, nc præsens abscisse utar, ἀποτόμως χρήσωμαι. De cætero fratres gaudete) posset etiã trãsferri, ualete χαίρετε.

FINIS.

LAVRENTII VALLAE ANNOtationes in epistolã Pauli ad Galatas.

CAPVT I.



Miror qđ sic tã cito trãsferimini ab eo, q uos uocauit in gratiã Christi.) Aut sic, aut tã esse superuacuũ probat non solũ græca ueritas, sed etiã ipsa loquẽdi absurditas, οὕτως ταχέως, neq; in gratiã legendũ est. sed in gratia, ἐν χάριτι. Nisi sunt aliqui qui uos cõturbãt.) Maluissem dicere, nisi quidã sunt, εἰ μή τινες εἰσίν. Modo enim hominibus suadeo an deo.) Nescio an melius, ut græce est, per accusatiuũ trãsferatur, homines suadeo, siue persuadeo, an deum: non dico, ut idem significet, quod per deum, sed, suadeo humana an diuina, ἀνθρώπους πείθω ἢ τὸν θεόν. Persequebar ecclesiam dei, & expugnabam illam.) Contumelia fit deo, cuius ecclesia dicitur expugnari. Ergo oppugnabat, non expugnabat, id est oppugnando capiebat, ἐπόρθουν. Neque ueni Hierosolymam

ad antecessores meos apostolos) græce est, neque redij Hierosolyma ad eos qui fuerant ante me apostoli, οὐδὲ ἀνῆλθον εἰς τὰ ἱεροσόλυμα πρὸς τοὺς πρὸ ἐμοῦ ἀποστόλους. Tantum aũt auditũ habebãt.) Cur nõ potius, tantũ aũt audierũt? nã græce est, tãtum autem audientes fuerunt, ἀκούοντες ἦσαν.

CAPVT II.

SEorsum autem ijs qui uidebantur esse aliquid) nõ hic græce legitur, esse aliquid: sed paulò post cum legitur: Ab ijs autem qui uidebãtur esse aliquid) Sed neq; in tertio legitur, esse aliquid, ubi dicitur: Mihi autem qui uidebantur esse aliquid) quod nescio an ab interprete, an ab alio sit adiectum, quasi subaudiretur. Quibus neq; ad horam cessimus subiectioni) Est quidem græce datiuus subiectioni, quia ablatiuus esse non potest, sed transferendus, ut opinor, nunc per ablatiuum subiectione, hoc est, non cessimus subijciendo nos. Nihil contulerunt) imò nihil addiderunt, ne quis putet apostolos nihil Paulo contulisse, προσανέθεντο. Et nos in Iesu Christo credimus, ut iustificemur ex fide) græce est credidimus, ἐπιστεύσαμεν: & in Iesum Christum, εἰς χριστὸν ἰησοῦν. Christo cõfixus sum cruci) græce est, cũ Christo crucifixus sum, χριστῷ συνεσταύρωμαι.

CAP. III.

O Insensati Galatæ, quis uos fascinauit non credere ueritati?) Ego mallem dicere, ne obtemperetis ueritati, μὴ πείθεσθαι. Sic stulti estis, ut

cum

cum spiritu cœperitis, nunc carne consummamini.) Legendum est consummemini: quanquam græce est consummamini, sed sine illo, ut est uegetior sententia, cum sic dicitur: Siccine stulti estis auspicati spiritu: siue exorsi, siue incipientes, siue qui incepistis, spiritu: nunc carne consummamini, siue nunc carne finem facitis, ἀρξάμενοι πνεύματι, νῦν σαρκὶ ἐπιτελεῖσθε. Illud taceo quod idem uerbum nunc græce est, nunc pro stulti, ἀνόητοι, quod superius pro insensati, ἀνόητοι, sed insensatus durum uocabulum. Quoniam iustus ex fide uiuit) uiuet legendum est, ζήσεται. Nõ dicit, & seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno et semine tuo) non recte dicitur quasi in uno, perinde ac si non esset reuera in uno: dicendum igitur, uelut, seu tanquam. græce est in utroq; ut, quo ego modo transtulissem, ἀλλ᾽ ὡς. Hoc aũt dico, testamentũ confirmatum à deo quæ post quadringentos) deest in Christum, ut sit: confirmatum à deo in Christum, εἰς χριστόν. Quicũq; enim in Christo baptizati estis, Christum induistis) græce est, in Christum baptizati, εἰς χριστόν. Omnes enim uos unum estis in Christo Iesu) græce non est unum, sed unus homo, siue ut Græci exponunt, una forma & unum corpus, εἷς.

CAPVT IIII.

Nunc aũt cũ cognoueritis deũ, imò cogniti sitis à deo) græce est, nũc uero cũ cognoueritis deũ, potius aũt cũ cogniti sitis à deo, μᾶλλον δὲ γνω

θέντες. Estote sicut ego, quia & ego sicut uos) ego potius dicerem efficiamini, quàm estote, γίνεσθε. Praeterea tutius est dicere, ut ego & ut uos, quàm sicut ego & sicut uos. Ambiguum est enim an sensus sit, efficiamini ut ego, quia ego factus sum ut uos, ut est in illo: factus sum Iudaeis ut Iudaeus, &c. an efficiamini ut ego, quia ego sum ut uos, ὡς. Scitis autem quod per infirmitatem carnis euāgelizaui uobis iāpridem, & tentationem uestram in carne mea, non spreuistis, sed sicut angelum dei excepistis sicut Christum Iesum) graece non est iampridem, sed prius, πρότερον, nec tentationem uestram, sed meam, μου, nec sicut, sed uelut: non enim exceperant unquam Galatae angelum dei, aut Christum: ut dicatur, excepistis me sicut excepistis angelum dei, aut Christum Iesum: sed excepistis me uelut, seu tanquam essem angelus dei, aut Christus Iesus, ὡς. Bonum autem aemulamini in bono.) Quis sensus hic est nisi indignus Paulo? Ipse ait: Bonum est aemulari, siue bona est aemulatio in bono, etsi non adest uerbum substantiuum graece, sed subauditur, καλὸν δὲ τὸ ζηλοῦσθαι. Haec enim sunt duo testamenta: unū quod in monte Sina in seruitutē generās, quae est Agar. Sina enim mōs est in Arabia, qui cōiunctus est ei quae nunc est Hierusalē, & seruit cū filijs suis. Illa aūt quae sursum est Hierusalē, libera est quae est nunc mater nostra.) Non dicam quomodo sit deceptus interpres, quoq; modo sit deprauata scriptu-
ra.

ta. Tantum dicam, qualis esse debeat uera trãslatio, quæ est hæc: Hæc enim sunt duo testamẽta: unum quidem à monte Sina in seruitutem generans, quod est Agar: nam Agar Sina mons est in Arabia, quod coniunctum est, quæ nunc est Hierusalem, seruit autem cum filijs suis: alterũ uero sursum Hierusalem libera est, quæ est mater omniũ nostrũ. μία μὲν ἀπὸ ὄρους σινᾶ εἰς δουλείαν γεννῶσα ἥτις ἐστὶν ἄγαρ, τὸ γὰρ ἄγαρ σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ ἀῤῥαβίᾳ, συστοιχεῖ δὲ τῇ νῦν ἱερουσαλὴμ, δουλεύει δὲ μετὰ τῶν τέκνων αὐτῆς, ἡ δὲ ἄνω ἱερουσαλὴμ ἐλευθέρα ἐστὶν, ἥτις ἐστὶ μήτηρ πάντων ἡμῶν.

CAP. V.

ITaq; fratres nõ sumus ancillæ filij, sed liberæ, qua libertate nos Christus liberauit. State ergo & nolite iterum iugo seruitutis contineri) græce aliter legitur: Libertate ergo qua Christus nos liberauit state, & ne iterum iugo seruitutis detineamini, τῇ ἐλευθερίᾳ οὖν ᾗ ὁ χριστὸς ἐλευθέρωσεν ἡμᾶς στήκετε, καὶ μὴ πάλιν ἐνέχεσθε. Currebatis bene, quis uos impediuit ueritati non obedire? nemini consenseritis, persuasio illa non est ex eo qui uocat uos. Modicũ fermentũ totam massam corrumpit.) Non legitur græce nemini consenseritis, nec persuasio illa, sed persuasio. Præterea ego transtulissem: Quis uos impediuit ueritati obedire, siue quo minus ueritati obediretis? græce tamen est elegantius persuaderi, πείθεσθαι.

quod congruit cũ illo statim sequenti persuasio, πεισμονή. Non autem esse dicendum, massam corrumpit, sed conspersionem fermentat, superius admonui, φύραμα ζυμοῖ. Vtinam & abscidantur qui uos cõturbãt, uos autem fratres in libertatem uocati estis) græce est, qui uos commouent, siue de statu submouent, ἀναστατοῦντες. neq; in libertatem, sed in libertate, hoc est extra seruitutem legis, ἐπ' ἐλευθερίᾳ. Tantum ne libertatem uestram in occasionem detis carnis, sed per charitatem seruite inuicem.) Abest à græca ueritate detis: nec legitur carnis, sed carni, τῇ σαρκὶ, hoc est, ut ita loquar, ne seruiatis libertatem uestram carni. Si spiritu uiuimus, spiritu & ambulamus) imò spiritu contenti simus, hoc est sine lege & circuncisione, στοιχῶμεν.

CAPVT VI.

Alter alterius onera portare, & sic adimplebitis legem Christi.) Non dicitur latine de multis alter alterius, sed de duobus: latinius autẽ & uerius dicetur, mutua onera portate, ἀλλήλων τὰ βάρη βαστάζετε. nec adimplebitis, sed adimplete, ἀναπληρώσατε. Et sic in seipso gloriam habebit, & non in altero) græce est, in seipsum, & non in alterũ: quod an perinde sit, ac si diceretur per ablatiuũ, aliorum iudicio relinquo, εἰς ἑαυτὸν, εἰς τὸν ἕτερον. Cõmunicet autem is qui catechizat uerbo, ei qui catechizat in omnibus bonis.) Quid sibi uult interpres, cum idem

Alter.

idem uerbum alibi transfert, alibi non transfert? An non alibi hoc uerbum transtulit? Quare nunc sic trãsferre formidauit? Communicet autem is qui docetur uerbum, cum eo qui ipsum docet in omnibus bonis, ὁ κατηχούμενος τὸν λόγον τῷ κατηχοῦντι. *Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet, quoniam qui seminat in carne) græce est, quod enim seminauerit homo, hoc & metet,* ὃ γὰρ ἐὰν, τοῦτο. *nec est in carne, sed in carnem, quod perinde est ac si diceretur in carne,* εἰς τὴν σάρκα. *Idem dico de sequenti, in spiritu, nam græce dicitur, in spiritum,* εἰς τὸ πνεῦμα. *Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes) Nõ est idem græce uerbum in illo deficiamus,* ἐκκακῶμεν, *& hoc deficientes,* ἐκλυόμενοι, *quare ego dixissem, nõ defatigemur Illud etiam græce suo, dicitur proprio,* ἰδίῳ: *nam sine aliquo huiusmodi, quale est, fructum, frugem, messem, non uidetur satis commode dici, metemus tẽpore suo. Quicunq; uolunt placere in carne) græce nõ legitur in carne: neq; tamen reprehendo interpretẽ, sed tantum significo non respondere uerbum uerbo, quia respondere non potest.*

FINIS.

t

CAPVT I.



Ratia uobis & pax à deo patre nostro & domino Iesu Christo.) Legendũ esse an domini Iesu Christi, dixi ambiguum esse, κυρίου ἰησοῦ χριστοῦ. Secundũ propositum uoluntatis suæ) paulò post, secundũ propositum eius: ibi uere est græce propositũ, πρόθεσιν, nũc est secũdum beneplacitum uoluntatis suæ, εὐδοκίαν. Hoc uocabulum in euangelio Lucæ transfertur bona uoluntas, cum dicitur, gloria in excelsis deo, & in ter pax, hominibus bona uoluntas, εὐδοκία. Vt notum faceret nobis sacramentũ uoluntatis suæ secundũ beneplacitum eius) en quod paulò ante trãstulerat propositũ, nunc transfert beneplacitum, εὐδοκίαν. neq; græce est, ut notum faceret, quod absurdũ dictu sit deum nos redemisse, ut notũ faceret nobis sacramẽtum, imò facto nobis sacramento, siue faciens nobis notum sacramentum suum redemit. Sacramentum dicitur græce mysterium, hoc est arcanum, γνωρίσας ἡμῖν τὸ μυστήριον. neq; dicendum fuit eius, sed suum. Instaurare omnia in Christo.) Sciamus instaurare ab interprete accipi pro in summam redigere, siue ad caput, uel ad capita redigere: ita enim græce habetur, ἀνακεφαλαιώσασθαι. In quo & nos sorte uocati sumus.) Melius ij codices habent in quibus non legitur

Marginalia: εὐδοκία. — Sacramentum. — Instaurare.

tur nos, nec legendum est in sorte, sed in sortem, hoc est in partē: nā graece sic dicitur, ut si dicatur, in quo & participati sumus, ἐκληρώθημεν. Et ipsum dedit caput super omnem ecclesiam) super omnia ecclesiae legendum est, ut sit datiui casus ecclesiae, ut fuerit ad sensus lucem sic transferendum, & ipsum super omnia caput dedit ecclesiae, ὑπὲρ πάντα τῇ ἐκκλησίᾳ.

CAPUT II.

In filios diffidentiae.) Insolens est uerbū diffidentia pro incredulitate, siue inobedientia, siue obstinatione, hoc est quod persuaderi recusatur, ἀπειθείας. Propter nimiam charitatem suam.) Cur ais nimiam, cū graece legas multam? πολλήν. Ipsius enim sumus factura creati in Christo Iesu, in omnibus operibus bonis, quae praeparauit deus, ut in illis ambulemus) graece est, quibus praeparauit, quod ambiguum est propter naturam linguae, an intelligēdum sit quae praeparauit, an quod usitatius & elegantius est, quibus praeparauit: quod si datiui casus est, haud dubium referendum est ad homines, id est ad nos, non ad opera, οἷς προητοίμασεν. Alienati à conuersatione Israël, & hospites testamentorum promissionis.) Nō minus belle dicatur, à ciuilitate Israëlis, & peregrini pactorum promissionis, πολιτείας καὶ ξένοι τῶν διαθηκῶν.

CAPVT III.

Ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur.) Quid est omnis paternitas? Quot enim sunt paternitates? hoc equidem nō intelligo. græce est omnis familia, πατριὰ. unde illud in psalmo: Omnes familiæ gentium, πατριαὶ. Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi.) Non est datiui casus scientiæ, ut ij qui græca nesciunt, uolunt, sed genitiui, γνώσεως. Quod si intelligendū est quod charitas antecellat scientiæ, fuit transferendum interpreti clarius: uerum ipsius non interest sensum ueriorem excutere, an scientia humana intelligenda sit, an diuina, an alio etiā modo intelligendū, ergo per genitiuū trāstulit, ut inuenit. Ei aūt qui potēs est omnia facere superabundanter quàm petimus & intelligimus) legendum est, quæ petimus, ὧν.

CAPVT IIII.

In humilitate & mansuetudine.) Nescio cur illud ταπείνωσιν: ut illud, quia respexit humilitatē ancillæ suæ, quæ propric est conditionis uilitas, & hoc, ταπεινοφροσύνην, quod est humilitas sensus: transferuntur eodem modo, & non potius hoc quod compositum est, transferunt, ut dixi humilitatem sensus, siue animi. Quale est etiam illud ad Philippenses: In humilitatē inuicem; ταπεινοφροσύνην: Vnus deus & pater omnium, qui super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.) Cur ait, super omnes, & per omnia, uariando

uariando genera, quod graece incertum est, cum utrobiq; sit casus genitiuus? ὃς ἐπὶ πάντων καὶ διὰ πάντων. Ego puto dicẽdum, per omnes, aut quod nõ tantopere mihi probatur, super omnia, & per omnia. Inuoluere autem res & homines, ut fecit interpres, mihi non placet. Veritatem autem facientes in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus) graece est, ueritatem sectantes: sed hoc parui refert. Non enim potest uerbum è uerbo trãsferri, ἀληθεύοντες. Illud maius quod graece dicitur: Augeamus in illum omnia) αὐξήσωμεν εἰς αὐτὸν τὰ πάντα, hoc est quod augeamus in Christum omnia membra, quod probat id quod sequitur: In mẽsura uniuscuiusq; membri augmentum corporis facit) αὔξησιν. Vt iã non ambuletis sicut & gentes ambulant in uanitate sensus sui) pleriq; codices habent, sicut & caeterae gentes, καὶ τὰ λοιπὰ ἔθνη. Illud uero sensus maluissem ego transferre mentis, νοός. quod si fecisset interpres ut fecit paulò post: Renouamini autem spiritu mentis uestrae) nemo exposuisset sensus per sensualitatis: qđ nomen ideo uolui proferre, ut notarem tanquàm uiris eruditis indignum pariter & in loquendo superuacuum. Alienati à uita dei per ignorantiam quae est in illis, propter caecitatem cordis ipsorum, qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiae) graece est propter ignorantiam, διὰ τὴν ἄγνοιαν. Nec dicendum erat cordis ipsorum, sed cordis sui, & si grae

ce sit ipsorum. Nec est desperantes, sed ut uni græco duo latina reddam, secordia retenti, siue retardati, siue per secordiam, siue ignauiter secorditerq́;, siue secordes atque ignaui tradiderunt sese impudicitiæ, ἀπηλγηκότες.

CAPVT V.

IN odorem suauitatis) magis dicitur suauitas odoris, quàm odor suauitatis: græce est, in odorem fragrãtiæ, nisi quod fragrantia de uehementi odore dicitur: siue, si sic dicere liceat, in odorem redolentiæ. Certe non ab re sit dicere, in odorem suauem, seu in suauitatem odoris, εἰς ὀσμὴν εὐωδίας. Aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet) pluralis numeri legendum est pertinent: quanquam græce magis dicitur, quæ non sunt conuenientia, siue decentia, τὰ οὐκ ἀνήκοντα. An uero dicendum fuerit scurrilitas, an facetia, dicere omitto: quia nonnulli in laudem, nonnulli in uitium accipiunt εὐτραπελίαν. Hoc enim scitote intelligentes quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi & dei) græce est, hoc enim este intelligentes: ergo sat erat dicere, scitote, sine illo intelligentes, ἴστε γινώσκοντες. Præterea non dicitur, quod est idolorum seruitus, sed, qui est idolorum seruus, qui græce dicitur idololatra, ὅς ἐστιν εἰδωλολάτρης. Nolite ergo fieri participes eorũ) græce

Fragrantia

græce est, conparticipes, συμμέτοχοι. Ideo ego dixissem, participes eis. Aliud enim est participare illorum, id est de illis, aliud participare illis, hoc est cum illis, ut cum apud alios quosdam, tum uero apud Quintilianum: Perdura priscis moribus mater frigoribus, ac solibus perusta, & in plerisque ruris operibus marito particeps. Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.) Redimentes tempus accipiendum est pro ementes tempus, quemadmodum dicimus, redemptores uectigalium, tum alibi, tum in iure ciuili, ἐξαγοραζόμενοι. Et nolite inebriari uino, in quo est luxuria.) Non est in ebrietate luxuria, sed in luxuria uini ebrietas. Nescio igitur an melius dicatur, in quo est uecordia, ἀσωτία. Mulieres uiris suis subditæ sint sicut domino: quoniam uir caput est mulieris, sicut Christus caput est ecclesiæ, ipse saluator corporis. Sed ut ecclesia subiecta est Christo, ita mulieres uiris suis in omnibus. Viri diligite uxores uestras, sicut & Christus dilexit ecclesiam.) Plerique codices græci habent in secunda persona, Mulieres uiris proprijs subditæ sitis, τοῖς ἰδίοις ἀνδράσιν ὑποτάσσεσθε. Sed cur mulieres potius quàm uxores, cum paulò post dicantur uxores, & nunc dicatur proprijs uiris, neque enim proprios uiros habent nisi quæ uxores sunt? Præterea comparatio fit de coniugio humano ad coniugium mysticum Christi & ecclesiæ, Quare ego sic transtulis-

Particicipare.

Redimere tempus.

sem, uxores maritis proprijs subditæ sitis ueluti domino, quoniam maritus caput est uxoris, sicut Christus caput est ecclesiæ, & ipse saluator est corporis. Sed ut ecclesia subiecta est Christo, ita & uxores maritis suis omni in re, siue in omnibus, ἐν παντί. Mariti diligite uxores uestras, sicut & Christus dilexit ecclesiam. Et erunt duo in carne una. Sacramentũ hoc magnum est, ego autem dico, in Christo & ecclesia.) Dixi superius, in una carne esse accusatiui casus græce, nunc idem de Christo & ecclesia, εἰς χριστὸν, καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν.

FINIS.

LAVRENTII VALLAE IN EPIstolã ad Philippenses annotationes.

CAPVT I.



PAulus & Timotheus serui Iesu Christi, omnibus sanctis in Christo Iesu qui sunt Philippis, cum episcopis & diaconibus. Gratia uobis & pax à deo patre nostro, & domino Iesu Christo.) Nescio quomodo factum sit, ut dicamus diaconibus à nominatiuo diacon, quod nec latina uox agnoscit, neq; græca ueritas habet, διακόνοις. Illud quoq; iam aliquoties attigi, ambiguum esse, an sit legendũ Iesu Christo, an Iesu Christi

Diacon.

sti, quia non repetitur præpositio. Ita ut uincula mea manifesta fierent in Christo, *in omni prætorio, & in cæteris omnibus)græce est, in toto prætorio: forte interpres accipit omni pro toto, sed non ita accipit lector, nisi exponatur, sed* Paulum *fuisse ductum in multa prætoria,* ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ. Id eóque *nec legendum est, & in cæteris omnibus, sed cæteris omnibus, id est hominibus,* καὶ τοῖς λοιποῖς πᾶσι. *Et hoc confidens scio, quia manebo & permanebo omnibus uobis)græce est, quod manebo, & apud uos omnes unà manebo, siue permanebo cum omnibus uobis,* καὶ συμπαραμενῶ πᾶσιν ὑμῖν. *Vt gratulatio uestra abũdet in* Christo Iesu *in me)græce est gloriatio, & ita interpres transtulit: sed negligẽtia librariorum factum est gratulatio,* καύχημα. *Et in nullo terreamini)* Potius *turbemini ac tumultuemini,* πτυρόμενοι.

Omnis pro toto.

CAPVT II.

VT *idem sapiatis eandem charitatem habẽtes unanimes idipsum sentientes) græce idem & ipsum eodem modo dicitur,* τὸ αὐτὸ, *item sapere & sentire,* φρονεῖν: *quomodo ergo nunc differẽt, idem sapiatis, & idipsum sentientes? Sciamus igitur græce nõ legi idipsum, sed unum,* τὸ ἓν φρονοῦντες. *Nõ quæ sua sunt singuli considerantes, sed quæ aliorum: hoc enim sentite in uobis quod in* Christo Iesu.)Ple-

rioꝗ codices græci habent considerate, σκοπεῖτε. Certe omnes habent sentiat, non sentite, φρονείσθω, quod refertur ad unusquisq;, quod interpres pluraliter trãstulit singuli, ἕκαστος. Et omnis lingua cõfiteatur, quia dominus noster Iesus Christus in gloria est dei patris) græce non legitur, est: nec in gloria, sed in gloriam, εἰς δόξαν. Est autem sententia, quod omnis lingua confiteatur, quod dominus noster est Iesus Christus, & hoc in gloriam dei patris, siue quod Iesus Christus est dominus noster in gloriam patris. Deus est enim qui operatur in uobis & uelle, & perficere pro bona uoluntate.) Idem uerbum græcum est, in illo operatur, ἐνεργῶν, & in hoc perficere, ἐνεργεῖν, ne quis putet perficere nunc esse ad finem perducere. Experimentum autem eius cognoscite, quoniam sicuti patri filius mecum seruiuit in euãgelio.) Puto potius transferendum fuisse, cognoscitis, cum sequatur enim, γινώσκετε. Item ueluti patre, non patri, ut congruat cum illo mecum. Nã infirmatus est usque ad mortem) græce est, proxime mortem, siue prope ad mortem, παραπλήσιον θανάτῳ. Cui nõ nihil simile est quod sequitur, usq; ad mortẽ accessit, quod græce est, usque ad mortem appropinquauit, quod dicitur latinius, proxime ad mortẽ accessit, μέχρι θανάτου ἤγγισεν. Excipe itaq; illum cum omni gaudio in domino, et huiusmodi cũ honore habetote, quoniã propter opus Christi usq; ad mortẽ accessit.)

Perficere.

Quanquam

Quanquam de uno Epaphrodito loquatur Paulus, tamen illud huiusmodi, pluralis numeri est, quod tribus dictionibus graecis pluralis numeri probatur, τοὺς τοιούτους ἐντίμους ἔχετε.

CAPVT III

Fratres ego non arbitror me comprehendisse) graece est nondum, οὔπω. Ad destinatum persequor ad brauium supernae uocationis dei.) Aliud est alibi destinatum, siue praedestinatum, nam idem sunt, ut apud Paulum, qui praedestinatus est filius dei, ὁρισθέντος, aliud hic, κατὰ σκοπὸν, ad intentum animi mei, ad terminum quem mihi proposui, atque destinaui: nõ, ut quidam putant, à deo destinatum. Et si quid aliud sapitis, & hoc uobis deus reuelauit.) Melius ij codices qui habent aliter, ἑτέρως. nec reuelauit legendum est, sed in futuro reuelabit, ἀποκαλύψει. Sed cum dixisset, hoc sentiamus, cur mutato uerbo subdidit interpres sapitis, cum idem sit uerbum, ut superius ostendi? Qui reformauit corpus humilitatis nostrae cõfiguratum corpori claritatis suae) Futuri temporis est graece, non praeteriti. Sed cur hic formam, ibi figuram nominat? Ego sic puto fuisse transferendum: Qui transfigurabit corpus humilitatis nostrae, ut sit configuratum gloriae corporis eius, μετασχηματίσει εἰς τὸ γενέσθαι αὐτὸ σύμμορφον.

CAPVT IIII.

ETiã rogo & te germane compar) quod nunc dixit germane seu compar, quod græce est γνή σιε, superius dixerat, syncera affectiõe, γνησίως, hoc dixi superius dici ingenue. Illud, etiam, non est dictio copulatiua, sed affirmatiua, quæ apud ueteres græca uoce in usu fuit næ, ναὶ. Quæ mecum laborauerunt in euangelio.) Ne diceret interpres, quæ mecum certauerunt, ut græce est, ueritus ne in alium sensum acciperetur, dixit laborauerunt. Nos autẽ sciamus græce esse certauerunt unà, σωνήθλησαν. Et pax dei quæ exuperat omnẽ sensum, custodiat corda uestra, & intelligentias uestras in Christo Iesu domino nostro) modo custodiet, φρουρήσει. Sed cur non mentẽ, siue intellectum potius, quàm sensum, νοῦν, sicuti dixit intelligentias, νοήματα, quod nomen ab illo superiori descẽdit? Si qua uirtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate.) Nõ legitur græce disciplinæ, sed ab aliquo, quia putauit deesse, adiectum est. Vbiq; & in omnibus institutus sum) græce est, in omni, & in omnibus, ἐν παντὶ καὶ ἐν πᾶσι. Omnia possum in eo qui me confortat) græce est, qui me fortem facit, siue qui me ualidum reddit, ἐν τῷ ἐνδυναμοῦντί με. Deus autem meus impleat omne desiderium uestrum) græce est, implebit, πληρώσει. desiderium nunc intelligẽdum est indigentiam, χρείαν.

FINIS.

LAVRENTII VALLAE IN EPI-
stolã Pauli ad Colossenses annotationes.

CAPVT I.



Vi est imago dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ, quia in ipso condita sunt uniuersa) uel hinc datur intelligi, nihil differre creare & condere, cum eadẽ sit græce dictio in illo creaturæ, κτίσεως, & in hoc cõdita sunt, ἐκτίσθη. Omnia in ipso & per ipsum creata sunt) εἰς αὐτόν, quod nunc per ablatiuũ trãsfert, paulò post, ut est græce, per accusatiuum transtulit interpres, inquiens, & per ipsum reconciliari omnia in ipsum, εἰς αὐτόν. An aliquid nunc differat accusatiuus & ablatiuus, alijs relinquo: ne si dicam differre, sim longior quàm postulat meum institutum. Pacificãs per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris) deest, per ipsum, ut sit per sanguinem crucis eius per ipsum, siue, διʼ αὐτοῦ. Et uos cum essetis aliquando abalienati, & inimici sensu in operibus malis.) Sensu nunc transfert, quod alibi transfert mente, alibi cõgitatione, διανοίᾳ. Quibus uoluit deus notas facere diuitias sacramenti huius in gẽtibus, quod est Christus, in nobis spes gloriæ, quem annunciamus corripientes omnem hominem) græce non est quod, sed qui est, ὅς ἐστι, quod transferendum est, quæ sunt. Nam refertur ad diuitias, quæ sunt generis masculini, & numeri singularis græce, & nunc etiam casus nominati

Creare, Condere.

ui. Nam dicitur, quibus uoluit deus notum facere quae diuitiae gloriae mysterij huius, γνωρίσαι τίς ὁ πλοῦτος, siue qui est, ut relatiuum non respondeat antecedenti, sed apposito, ut etiam superius factum est, & putatur modus elegantior. neq; graece est corripientes, sed monentes, siue commonefacientes, νουθετοῦντες.
In quo & laboro certãdo) legẽdũ est, in quod, εἰς ὅ.

CAPVT II.

GAudens & uidens uestrum ordinem, & firmamentum eius quod est in Christo Iesu fidei uestrae) Vt ordinem, seu potius seriem graecorum uerborum seruaret interpres, adiecit illud, eius, sine quo non uidebatur orationis contextus. At ego dicerem, firmamentum uestrae quae in Christo est fidei: nec admodum à graeco decederem, τῆς ἐν χριστῷ ἰησοῦ πίστεως ὑμῶν. Delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, expolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso) decretis legendũ est, non decreti, quod nescientes referunt sequens relatiuum ad decreti, τοῖς δόγμασιν, quemadmodum nescientes quid nũc significat traduxit, exponũt transtulit longe ab hoc regno ad coelum, cum significet, exemplũ ignominiae effecit, ut in principio Matthaei disseruimus, ἐδειγμάτισεν. Nemo uos seducat uolens in humilitate sensus.) Non potuit transferri uox graeca

græca, ideo ad medium quoddam uerbum recursum est. ut autem huius uerbi græci sensum utcunq; aperiam, est, nemo uos ad brabium euocet, siue nemo uobis brabium ostentet ad prouocandum cursum, καταβραβευέτω. In humilitate sensus, nũc per duo uerba transtulit interpres, quod superius, & item paulò post, & nescio an semper transfert per unum sine adiectione sensus, de quo uocabulo iam dixi, ταπεινοφροσύνῃ.

Ne tetigeritis, neq; gustaueritis, neq; contractaueritis) græce sunt hæc omnia singularis numeri, μὴ ἅψῃ, μηδὲ γεύσῃ, μηδὲ θίγῃς.

CAPVT III.

Expoliantes uos ueterem hominem cum actibus suis, & induentes eum nouum qui renouatur) pro exuens solet interpres transferre, expolians ἀπεκδυσάμενοι, qui addidit nũc, eum, quod ego nõ addidissem, τὸν νέον, τὸν ἀνακαινούμενον. Et pax dei exultet in cordibus uestris.) Non est græce exultet, sed uerbum quod superius pluribus interpretatus sum, ueruntamen non compositum, quod audeamus sic uno uerbo exponere, brabiet: est enim græcum uocabulum brabium, βραβευέτω. Mulieres subditæ estote uiris, sicut oportet, in domino: uiri diligite uxores.) Cur non potius, uxores subditæ estote?

CAPVT IIII.

Nympha.

SAlutate fratres qui sunt Laodiciæ, & Nympham, & quæ in domo eius est ecclesiam.) Nympha uir fuit, & non, ut quidam rētur, fœmina, quod probatur ex pronomine, eius, quod græce est generis masculini, αὐτοῦ.

FINIS.

LAVRENTII VALLAE IN EPIstolam Pauli ad Thessalonicenses primā annotationes.

CAPVT I.



diffamatus.

Remigius taxatus.

MEmores opis fidei uestræ, & laboris, et charitatis, et sustinētiæ) Cur nō potius tolerātiæ, aut patiētiæ, ut facit alibi, q̄ sustinētiæ? ὑπομονῆς. A uobis enī diffamatus est sermo domini) græce dicitur diffamatus, ἐξήχηται, quod est exonuit, et, ut sic dicā, ebuccinatus est. Augustinus siue ex hoc epistolæ loco, siue etiā ex alijs libris, solet uti hoc participio diffamatus, pro eo quod est, ut interpres accipit, longe lateq; diuulgatus. Quod nesciens Remigius, non modo in Augustinum, sed quod multo est maius, in Paulū contumeliosius est, inquiens: Diffamatus maxime pro uituperatione ponitur, & in contrariam partē.

partē. Sed Apostolus nō curās de proprietate uerborū, cū debuit dicere, manifestatus & diuulgatus est sermo, dixit diffamatus. Imò tu non curas de uerborum proprietate, qui græcam ueritatē non consulis, in qua lingua Paulus accurate loquutus est, qui in uerbis cū proprijs tum ornatis, duntaxat rerum maiestate seruata, Demosthenem ipsum antecellit. Sed in omni loco fides uestra, quæ est ad deum, profecta est.) Ego ad tollendam ambiguitatem maluissem dicere, quæ est apud deum, emanauit, siue diuulgata, siue euagata est, ἡ πρὸς τὸν θεὸν ἐξελήλυθεν.

CAPVT II.

Loqui ad uos euangelium dei in multa solicitudine) imò in multo certamine, ἐν πολλῷ ἀγῶνι. In medio uestrum) melius alibi, in medio uestri.

Quoniam cum accepissetis à nobis uerbum dei, accepistis illud non ut uerbum hominum, sed sicut est uere uerbum dei, qui operatur in uobis qui credidistis) Nescio an transferatur melius, quod operatur. Est enim ambiguum græce, quia uerbum est nunc generis masculini, λόγον. etiam operatur ambiguum est, actiue ne accipiatur an passiue, ἐνεργεῖται.

CAPVT IIII.

Itaq; qui hæc spernit, nō hominem spernit, sed deum.) In quibusdā æditionibus legitur, qui me spernit: sed græce neq; hæc, neq; me legitur. Et operā detis, ut quieti sitis, & negocium uestrum agatis) græ-

ce est, negocia uestra, siue negocia propria, seu res pro prias agatis, ne putemus, ut quidam, de salutis æternæ opere Paulum loqui, πράσσειν τὰ ἴδια. Iidē etiam quod sequitur male accipiūt: Vt honeste ambuletis ad eos, qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis) quod uidelicet honeste uiuatis, néue quid ab alijs uelitis auferre & concupiscere. Apostolus ait, ideo debere agere suas res, & laborare manibus, ut honorate ambulent apud infideles, néue quid desiderēt ab illis, atque mēdicēt. Ideoq; ego trāstulissem, apud eos, nō ad eos, quod græce anceps est, πρὸς τοὺς ἔξω. Nam reliqua particula non ēst anceps, sed sic transferenda, & nullius rei indigeatis, siue, ut ad uerbū trāsferam, & nullius indigentiam habeatis, καὶ μηδενὸς χρείαν ἔχητε. Non estis noctis neq; tenebrarū) sumus legendum est, non estis, ἐσμὲν.

CAPVT V.

Rogamus aūt uos fratres, corripite inquietos) græce est, admonete inordinatos, siue incōpositos, νουθετεῖτε ἀτάκτους. Ipse aūt deus pacis sanctificet uos per omnia, ut integer spiritus uester & anima, & corpus sine querela in aduētu domini nostri Iesu Christi seruetur.) Legendū est, & integer, non ut: non enim ait, deus uos sanctificet ut seruentur hæc, sed continuatur bona precatio, quod deus sanctificet, quodq; hæc seruentur, καὶ.

FINIS.

LAV

LAVRENTII VALLAE ANNOtationes in epistolã Pauli ad Thessalonicenses secundam.

CAPVT I.



IN tribulationibus quas sustinetis in exemplum iusti iudicij.) Non est graece, in exemplũ, sed sine praepositione. Nã reor exemplum esse nominatiui casus, etsi non planè exemplum dicitur, sed ostensio, siue specimen, siue indicium, ἔνδειγμα. Qui poenas dabunt in interitu aeternas à facie domini, & à gloria uirtutis eius) graece est interitum aeternum, ὄλεθρον αἰώνιον. neque idem est graece nomen uirtutis, ἰσχύος, quod paulò ante, Cum angelis uirtutis eius, δυνάμεως, quod superius dixi significare potentiam, uim, potestatem: hoc autem significat fortitudinẽ, siue robur, siue ualiditatem. In illo die, in quo etiam oramus semper pro uobis.) Plerique exponũt, in quo die. Atqui legendum est in quod, id est in quam dixi rem, εἰς ὃ.

CAPVT II.

QVi aduersatur & extollitur super omne quod dicitur deus, aut quod colitur) graece est, super omnem qui dicitur deus, aut cultus, ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν, ἢ σέβασμα. Ostẽdẽs se quasi sit deus) ὅτι ἐστὶ θεός. Vt reueletur in tẽpore suo) deest ille, ut sit, reueletur ille, εἰς ἀποκαλυφθῆναι αὐτόν.

Quod elegit nos deus primitias in salutem, in qua & uocauit nos.) Legendum est, in quod, εἰς ὅ. *Vt subtrahatis uos ab omni fratre ambulante inordinate, & non secundum traditionem, quam acceperunt à nobis.*

CAPVT III.

Ipsi enim scitis, quemadmodum oporteat imitari nos, quoniã nõ inquieti fuimus inter uos.) Cur ais inquieti fuimus? cum modo dixeris inordinate, cũ idẽ sit illud ἀτάκτως, & hoc ἠτακτήσαμεν, ergo, nõ incompositi fuimus. Quid quod iterũ idem illud, quod transtuleras inordinate, mox transfers inquiete? inquiens: *Audiuimus enim inter uos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes*, ἀτάκτως. Cur nõ etiam uenustatem seruasti Paulinæ elocutionis, ut saltem diceres, nihil agentes, sed curiose agentes. Nam Pauli oratio non minus gratiæ habet illa Domitij Afri de quodam oratore, quem dixit non agere, sed satagere, οὐδὲν ἐργαζομένους, ἀλλὰ περιεργαζομένους. *Sed corripite ut fratrem)* iam nõ semel dixi, potius commonefacite, νουθετεῖτε. *Ipse autem deus pacis det uobis pacem sempiternam in omni loco)* græce est, det uobis pacem semper & in omni modo, διὰ παντὸς ἐν παντὶ τρόπῳ

FINIS.

LAV-

stolam Pauli ad Timotheum primã annotationes.

CAPVT I.


Icut rogaui te, ut remaneres Ephesi) παρεκάλεσα. Cur non hortatus sum te? sicut in superiori epistola: In gratia exhortetur corda uestra, παρακαλέσαι. Cur enim deceat Paulũ nũc magis rogare Timotheum, quàm exhortari? Plagiarijs mendacibus & periuris.) Quidam exponunt plagiarios, qui plagas cuiuscunq; generis inferunt proximis, quasi non tum alibi tum in iure ciuili fiat mentio de plagiarijs, qui sunt fures & surreptores hominum, ut ipsa uox græca ostendit, ἀνδραποδισαῖς. Plagiarius.

CAPVT II.

Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes.) Cur non, ut dixi, hortor? παρακαλῶ. Pro regibus & omnibus, qui in sublimitate sunt constituti.) Nec eleganter nunc dicitur constituti, nec græce legitur, sed tantum, qui in sublimitate, uel dignitate sunt, ἐν ὑπεροχῆ ὄντων. In quo positus sum ego prædicator & apostolus) magis dicitur præco quàm prædicator, græce κήρυξ. Volo ergo uiros orare in omni loco, leuantes puras manus sine ira & disceptatione) uidetur significare contentionem cum aliquo hoc nomen disceptatio. At nunc eadem signifi- disceptatio

catio est quae illa, cum dicitur de beata Maria, quod cogitabat qualis esset illa salutatio, διελογίζετο, id est dubitabat: ita nũc, sine dubitatione atq; haesitatione, fortasse erat dicendum, διαλογισμῶ. Cum uerecundia & sobrietate) secundum Hieronymum, ut testati sumus, potius dicendum erat pudicitia, σωφροσύνη, quàm sobrietate. Idem dico de loco paulò post sequenti: Saluabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate.) Quidam tamen codices habent cum castitate, σωφροσύνης. Legendum tamen est, si permanserint, ἐὰν μείνωσιν.

CAPVT III.

IDẽ loquor etiam de loco sequẽti: Vnius uxoris uirum, sobriũ, prudẽtẽ, ornatũ, pudicũ, hospitalẽ, doctorẽ, nõ uinolentũ) σώφρονα. Nã nõ legitur graece pudicum, neq; doctorẽ magis intelligẽdum est quàm doctum, διδακτικὸν, id est habilem, aptum, idoneũ & appositum ad docendum, quẽ in priore ad Timotheum epistola uocat docibilem, διδακτικόν. Nec uinolentum, id est plenum uino, πάροινον, quod postea in Diaconis reprehenditur, non multo uino deditum magis quàm uinosum, hoc est nimis amantem uini.

Litigiosus. Non litigiosum, non cupidũ, domui suae bene praepositũ) litigiosum ad lites pertinet, at graece est nõ pugnãtem, ἄμαχον, nec graece est cupidum, sed pecuniae cupidũ,

pidum, φιλάργυρον. nec tam bene dicitur hic domui suæ bene præpositum, καλῶς προϊστάμενον, quasi laus sit eius, qui huic præposuit, quàm paulò post de diaconis, qui filijs suis præsint, καλῶς προϊστάμενοι. Ideoq; sequitur: Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo ecclesiæ dei diligentiam habebit?) Verum græce potius est, curam habebit; siue quomodo de ecclesia dei erit ei curæ? ἐπιμελήσεται

Mulieres similiter pudicas) si de uxoribus episcoporum & diaconorum sensit Paulus, cur non transtulit interpres uxores? Sin de alijs, quæ sunt istæ aliæ? Nam de cunctis loqui apostolum reor, γυναῖκας.

Et manifeste magnū est pietatis sacramentū, quod manifestum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatū est in gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria) quod neutraliter legitur, masculine legendum est, addendumq; deus, sic enim est græce: Et planè, siue haud dubie, siue, quod græco magis respondet, & sine controuersia, id est confesse, ὁμολογουμένως. Magnum est pietatis sacramentum, id est mysterium, deus manifestatus est in carne, iustificatus in spiritu, apparuit angelis, prædicatus est in gentibus, creditus est in mundo, assumptus est in gloria. Nam quomodo, ut argumento agā, potest mysterium assumi in gloria? Christus in gloria assumptus est, μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον, θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί, ἐδικαιώθη ἐν πνεύ-

μάτι, ὤφθη ἀγγέλοις, ἐκηρύχθη ἐν ἔθνεσιν, ἐπιστεύθη ἐν κόσμῳ, ἀνελήφθη ἐν δόξῃ.

CAPVT IIII.

Dum pro donec.

DVm uenio attende lectioni) dū pro donec accipiendum est, quod graece apertum est, ἕως.

CAPVT V.

SEniorem ne increpaueris, sed obsecra ut patrē, iuuenes ut fratres.) Ex hoc uerbo datur intelligi, illud superius, nō percussorem, intelligi magis de eo presbytero, qui lingua percutit, et quasi plagas infligit, nam à plaga descēdit: illud percussorem, πλήκτην, & hos increpueris, ἐπιπλήξῃς. Sed cur ait obsecra eo tempore quo ille reprehendendus est, nec ille modo, sed etiam iuniores? an etiam hos & adolescentulas obsecrabit? ergo puto dicendum fuisse hortare, παρακάλει, sicut in epistola ad Titum: Iuuenes similiter hortare ut sobrij sint, παρακάλει. Si qua autē uidua filios, aut nepotes habet, discat primo domum suam bene regere, & mutuam uicem parentibus reddere) hoc praeceptum non uiduae datur, sed filijs ac nepotibus. Ideoq; sic legendum: Discant primum suam domum pie tractare, μανθανέτωσαν πρῶτον τὸν ἴδιον οἶκον εὐσεβεῖν. Quae autem uere uidua est desolata speret in deum, & instet obsecrationibus & orationibus nocte ac die.) Alia graece sententia est, dicitur enim, sperauit in deum, & instat, siue imminet obsecrationibus, ἤλπικεν ἐπὶ τὸν θεὸν καὶ προσμένει.

φῶσα. Nam quæ in delitijs est, uiuens mortua est.) Nā pro aūt, ut sæpenumero apud ueteres positū est, ἤδη. Nubere uolūt habētes dānationē) græce est, iudiciū, qđ qa pro dānatione accipitur, interpres ad sensum magis q̄ ad uerbū trāstulit, κρῖμα. Volo igitur iuniores nubere, filios pcreare, matresfamilias esse.) Non recte quidam accipiūt matresfamilias esse, quia liberos procreent, nā hoc iā dictū est, sed familiæ præpositas esse, id est seruis & pecuniæ. Nā neq; paterfamilias uocatur à liberorum procreatione, sed à seruorum ac bonorum dominio, hæc enim nomine familiæ continentur: græce autem dicitur domus dominas esse, siue domus tenere imperium, οἰκοδεσποτεῖν.

Nam pro autem.

Materfamilias.

Paterfamilias.

Familia.

CAPVT VI.

SEd magis seruiant, quia fideles sunt & dilecti, quia beneficij participes sunt) qui legendum est, non quia beneficij, οἱ. Et ei quæ secundum pietatem est doctrinæ superbus nihil sciens) græce est superbus est, seu potius per uerbum, elatus, siue inflatus est, τετύφωται. Etiam illud ei, sicut superius sum testatus, non puto necessarium. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide) græce non est cupiditas, ne quis nunc putet agi de gloriæ, de imperij, de alterius generis cupiditate, sed pecuniæ. Siquidem Paulus nunc eos qui uolunt diuites fieri reprehendit. Nam si de omni cupiditate loqueretur, cur ita loqueretur: quam quidam

appetentes, id est cupientes, ὀρεγόμενοι. An cupiditatem quis cupere potest? Quò ergo refertur illud quam? nempe ad pecuniam, quæ uox inclusa est in illo composito nomine, φιλαργυρία.

FINIS.

LAVRENTII VALLAE IN EPIstolã Pauli ad Timoth. II. annotationes.

CAPVT I.



Ratias ago deo, cui seruio à progenitoribus meis) græce est gratiam habeo, χάριν ἔχω, quod apud eos forsan perinde est atque gratias ago, id est, εὐχαριστῶ, latine aũt aliud significat: & haud scio an quisquam gratias, seu gratiam habere deo recte dicatur, quod proprie est habere animi referẽdi gratiam, hoc est beneficium reddendi. A progenitoribus meis, quidam exponunt ab antiquis meis, Abraam, Isaac & Iacob: hi sciant idem uocabulum esse hic προγόνων, & in superiore epistola, & mutuam parentibus reddere, προγόνοις. quanquam reuera græce non est parentibus, sed progenitoribus: tamen progenitores non solum superiores, sed etiam genitores dicuntur, sicut ipsius uerbum indicat. ut apud Vergilium: Hãc terra, ut perhibẽt, ira irritata deorum, Progenuit. Il-

Gratiam habere.

Progenitores.

lud

lud autem meis uix ullo in codice legitur, tamen subauditur. Certus sum quod & in te) proprie græce est, persuasus sum, siue mihi persuasi, siue persuasum habeo, quod nunc dicitur certus sum, πέπεισμαι. Idem dico de cæteris locis. Formam habens sanorum uerborum) habe legẽdum est, ἔχε, quod superiore epistola informationem dixit, idem nunc dicit formam, ὑποτύπωσιν.

CAPVT II.

NEmo militãs deo implicat se negocijs secularibus) male additũ est à nostris, deo. Nã est argumentũ à minori, atq; ab exẽplo, quod si ille qui militat probibetur è iure ciuili, atq; è disciplina militari negociari, quantomagis miles Christi. Militem enim Christi Timotheũ appellauit. Nec tã negocijs legendum est, quàm negociationibus, πραγματείαις, nec tam secularibus quàm uitæ, τοῦ βίου, nec tam implicat se quàm implicatur, ἐμπλέκεται. Vt ei placeat cui se probauit) græce est, ut ei qui ipsum delegit militem placeat, ἵνα τῷ στρατολογήσαντι ἀρέσῃ.

Nam & qui certat in agone, non coronatur nisi legitime certauerit.) Non legitur græce in agone, nec agon locus est, sed certamen. Ego autem puto sic fuisse transferendum: Si autem & certet quis, non coronatur, ἐὰν δὲ καὶ ἀθλῇ τις, οὐ στεφανοῦται. Agon.

Hæc commoneo testificans coram deo.) Commone legendum est, siue in memoriã redige, ὑπομίμνησκε.

Noli uerbis contendere, ad nihil enim utile est nisi ad subuersionem audientium.) Non est graece imperatiuum, sed infinitiuum, non contendere uerbis: ita enim se habet tota sententia, & ita puto transtulisse interpretem, haec commone, testificans coram deo, non uerbis contendere, siue ne uerbis contendant in nihil utile, siue in nullam utilitatem, ad euersionem audientium, μὴ λογομαχεῖν, εἰς οὐδὲν χρήσιμον, ἐπὶ καταστροφῇ. Prophana & inaniloquia deuita: multū enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum ut cancer serpit) quod superius dixit ineptas, ad eundē Timotheum scribens, id nunc ait prophana, βεβήλους. nec est legendum cum copula, nec tam est inaniloquia quàm inanes uoces, κενοφωνίας. nec legendū est proficiunt, sed proficient, προκόψουσιν. Nec tam est multum quàm amplius, siue ut ad uerbum transferam, in plus proficient impietatis, ἐπὶ πλεῖον γὰρ προκόψουσιν ἀσεβείας. & serpet, non serpit, quod aptius elegantiusq; translatum est quàm uerius: nam graece dicitur, & sermo eorum ut cancer pasturam, siue pastionem habebit, νομὴν ἕξει. Cognouit dominus qui sunt eius.) Nisi aliena tractasset interpres, haud dubie dixisset, qui sunt sui: nunc quia repperit genitiuum graecum αὐτοῦ, quod significat ipsius, siue eius, per incuriam quandam uerbum è uerbo traduxit, ut saepenumero aliâs, sed parum latine.

CAP.

CAPVT III.

Cvpidi) dixi superius græcum uocabulum significare pecuniæ cupidos, hoc est argenti, φιλάργυροι. Sine pace) potius sine fœdere, ἄσπονδοι Et nunquam ad scientiam ueritatis peruenientes) ualentes peruenire est græce, ἐλθεῖν δυνάμενα. Tu autem assequutus es meam doctrinam, persequutiones, passiones.) Potius assectatus, siue sequutus es: non enim fuisset assequutus, id est adeptus, persequutiones & passiones Pauli, ut Paulus ait, sed assectatus, seu sequutus, quod græcum uerbum indicat, παρηκολούθηκας, ut dixi in principio euangelij Lucæ.

CAPVT IIII.

INsta importune) aliud hic uerbum est importune, ἀκαίρως, aliud in epistola secunda ad Thessalonicenses, Ab importunis & malis hominibus, ἀτόπων, quod nomen græce à loco dicitur, & latine à portu, quod sicut locus importuosus, siue carẽs portu, est infestus nauibus, ita quis infestus & dirus alicui dicitur importunus: at hoc ad Timotheum, dictum est à tempore, sicut proximum, εὐκαίρως, ut magis legendum sit opportune importune, quod non peius transferretur tempestiue intempestiue, & foret uerbum è uerbo. Tu uero uigila, in omnibus labora, opus fac euãgelistæ, ministerium tuum imple, sobrius esto.) Græce abest sobrius esto. Illud quoq; labora, ferè græce est tolera, siue ut ad uerbum quoad fieri potest transferam,

ἄτοπος.

Importunus.

mala tolera, κακοπάθησον. Reddet ei deus secundum opera sua.) Interpres transtulit proculdubio, reddat, sicut in græco est, ἀποδῴη, sed aliquis putans alienum esse à Paulo, imprecari malum ei à quo accepit iniurias, mutauit in indicatiuum, quasi non sit cū alibi, tum uero in psalmis frequens huiusmodi imprecatio: de cuius rei qualitate non est huius loci disputare, satis nobis sit niti græca ueritate. Liberauit enim me dominus ab omni opere malo, & saluum faciet) græce est, & liberabit me dominus, καὶ ῥύσεταί με.

FINIS.

LAVRENTII VALLAE IN EPIstolam ad Titum annotationes.

CAPVT I.



Hvius rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros.) Cur non in Creta potius quàm Cretæ? ut etiam græce est, etsi illi nominibus quoq; urbium præpositionem addunt, quam tu à regionis nomine sustulisti, ἐν κρήτῃ. Non est græce pluralis numeri ciuitates, sed ciuitatē, κατὰ πόλιν. quæ res siquid differt, in hoc differt, quod poterant plures in una ciuitate constitui presbyteri, qui sunt ijdem episcopi, ut ipsa uerba quæ sequuntur

sequuntur indicant. Sicut dei dispensatorem) uelut dicendum erat, quam elegantiam Graeci non habent, ὡς. In spem uitae aeternae quam promisit deus, qui non mētitur, ante tempora secularia.) Aeternae, αἰωνίου, & secularia, αἰωνίου, idē uerbū est graece, ideoq; cum apud alios, tum apud Augustinū lego, ante tempora aeterna. de quo uocabulo alibi loquens, ait: Sed non sunt ausi Latini dicere hoc seculare, nam lōge in aliud mitteret sensum seculare. Sed ipse Augustinus uiderit si seculū est αἰὼν, & secula αἰῶνες, cur nō possit transferri αἰώνιον seculare, sed aeternum? Certe quod ipse negat, Latini quidam ita transtulerunt, & uerbum uetustum sanè est, unde dicti sunt ludi seculares, id est illius seculi. Quos oportet redargui) graece est redarguere, siue quorum ora oportet comprimere, siue ut in euangelio Lucae, comprimere: nā idē hic quod illic est uerbum, ἐπιστομίζειν. Malae bestiae uentris pigri) uentres legendum est, γαστέρες. Quamobrem increpa illos dure) graece est abscisse, siue praefracte, ἀποτόμως. Auersantium se à ueritate) graece est, auersantium ueritatem, siue auertentiū ueritatem, ἀποστρεφομένων τὴν ἀλήθειαν. Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum.) Graece est, omnia quidem munda mundis, πάντα μὲν. Cum sint abominati & incredibiles.) Cur non potius increduli, aut certe impersuasibiles? ἀπειθεῖς. Melius igitur paulò post:

Seculare.

Eramus enim nos aliquando insipientes & increduli, ἀπειθεῖς.

CAPVT II.

Et secularia desideria, sobrie, & iuste, & pie uiuamus in hoc seculo, expectãtes aduentum magni dei.) Quamuis sit secularia & seculo similia, tamen graece sunt dissimilia. Nam secularia nunc graece dicitur mundana, κοσμικὰ, et cõtrà apparuit & aduentum, sunt diuersa latine, tamẽ graece non differũt: nam aduẽtum nunc graece dicitur apparitionem, ἐπιφάνειαν. Et mundaret sibi populum acceptabilẽ) graece est peculiarem, περιούσιον.

CAPVT III.

Non litigiosos esse.) Lites sunt in iudicio, graeca uox magis uidetur significare nõ rixosos, & ut supra dixi, non pugnaces, ἀμάχους. Vt curent in bonis operibus praeesse qui credũt deo) crediderunt legendum est, πεπιστευκότες, id est qui ad fidem accesserũt: est ergo credere in fide esse, credidisse autem ad fidem accessisse, ut ad Romanos: Nunc autem propior est nostra salus, quàm cum credidimus: id est, nunc cum credimus, & in credendo perseueramus.

Credere.

FINIS.

LAV.

CAPVT I.



T communicatio fidei tuæ euidens fiat in agnitionem omnis boni in Christo Iesu) ἐνεργής, uidetur dicendum fuisse efficax: nam euidens una litera mutata dicitur, ἐναργής. Vnde nescio an in epistola illa Hieronymi, quæ præponitur libris pentateuchi, sit legendum per a potius enargia, an per e energia, ut ad Hebræos: Viuus est enim sermo dei & efficax, ἐνεργής. Nam uidetur Hieronymus significare potius euidentiam quàm efficaciam, cum dicit: habet quid latentis energiæ uiua uox. de qua etiam dictione dixi superius. Propter quod fiduciam multam habens in Christo Iesu imperãdi tibi quod ad rem pertinet) ego mallem dicere, quod decens est: nam ad quam rem istud pertinet? Sed quid disputo, cum græca sim ubiq; ueritate contentus? τὸ ἀνῆκον. Propter charitatem magis obsecro cum sis talis, ut Paulus senex, nunc autem & uinctus Christi) quia uidebatur non posse fieri cõparatio de Paulo ad Paulum, ut in prima persona diceretur, cum sim talis ut Paulus senex: mutauerunt quidam in secundam personam, ut de Philemone dicatur, cum sis talis ut ego. At hoc græca ueritas negat, παρακαλῶ τοιοῦτος ὤν. id est, cum talis sim obsecro ut Paulus, ut senex, ut uinctus Iesu Christi. Tu aũt

illum, id est uiscera mea suscipe.) In plerisq; codicibus pro correctione inueni corruptionem, ut scribatur, ut uel sicut, pro id est, & deleta uetusta scriptura uel notata quae uera erat, subditam uel suprascriptam falsam, τȣτέςι. Iam non ut seruum pro seruo charissimum filium ac fratrem.) Non dicitur graece pro seruo, id est, ὑπὲς δούλȣ, sed ὑπὲς δȣ̃λον, hoc est supra seruum, uidelicet charissimum filium ac fratrem. Suscipe illum sicut me) dicendum erat uelut me, siue tanquam me, hoc est, ac si esset ego, ὡς. Si autem tibi aliquid nocuit aut debet, hoc mihi imputa.) Ne quis in malam partem caperet imputare, poterat transferri non minus recte, hoc mihi expensum fer, optime tamē translatum, etsi non optime omnes intelligant, ἐλλόγει. Ita frater ego te fruar in domino, refice uiscera mea in Christo.) Non est coniunctum, ita, cum uerbo fruor, sed separatū hoc, ita frater: quod nescio cur interpres, quod nunquam fecit, dixerit pro etiam ita, ναὶ, de quo superius disserui. Non est nunc illud uerbum consuetum quod significat fruor, sed quod forte magis significat potior, ὀναίμην.

FINIS.

stolam Pauli ad Hebræos annotationes.

CAPVT I.



Vltifarie, multisq́; modis olim deus loquens patribus in prophetis, nouissime diebus istis loquutus est nobis in filio.) Ne diceret interpres bis loquutus, dixit loquens, cum græce, quod est longe melius, dicatur loquutus, λαλήσας. Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius) figura græce, nunc dicitur character, χαρακτὴρ. & substantiæ hypostaseos ὑποστάσεως, ne quis aliter accipiat, quàm græca ueritas patiatur. Portãsq́; omnia uerbo uirtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis.) Cur non ferens potius quàm portans, ut est græce, φέρων. græce quoq; est, qui per seipsum purgationem peccatorũ nostrorum fecit, sedet ad dexteram, siue in dextra, δι᾽ ἑαυτοῦ καθαρισμὸν ποιησάμενος τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τῆς μεγαλοσύνης. Hic uere dicitur maiestas, nam superius cum hoc uocabulum legimus, ferè gloria græce dicitur. Nónne omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi?) Non missi, sed qui mittuntur, ἀποστελλόμενα.

CAPVT II.

NE forte pereffluamus) cur non potius praeter fluamus? παραῤῥυῶμεν. Vt misericors fieret, & fidelis pontifex ad deum) potius, in his quae ad deum sunt, seu spectant, τὰ πρὸς τὸν θεόν, sicut facit posterius: Omnis namq; põtifex ex hominibus assumptus, pro hominibus cõstitutus in his quae sunt ad deũ, τὰ πρὸς τὸν θεόν.

CAPVT III.

AMplioris enim gloriae iste prae Moyse dignus habitus est, quanto ampliorem honorem habet domus qui fabricauit eam) Interpres nonnunquã transfert, non modo uerbum è uerbo, sed etiam casum è casu. Taceo quod dixit amplioris gratiae pro ampliori gratia dignus est, ut ratio latinae linguae postulat: eundẽ casum cõparatiuo dedit, hoc est genitiuum, qui cum sit eiusdẽ uocis, cuius est nominatiuus, de domus loquor. Pleriq; hunc locũ non intellexerunt, quorum est Remigius, non inueniens sententiae exitum. At si transtulisset interpres domo, nemo sententiam ignorásset: domum nunc apostolus intelligit populũ dei & Christi, in qua habitat, quamq; fabricauit.

Propter quod infensus fui generationi huic.) Melius sic q̃ quo modo emendatur, offensus, προσώχθισα.

CAPVT IIII.

VIuus enim sermo dei, & penetrabilior omni gladio ancipiti.) Quidam, quorum est Ambrosius,

brosius, hunc locum transferunt, uerbum dei ualidum & omni gladio acutius. Hinc datur intelligi, non esse uerum quod quidam uolunt, machæram esse tantũ al tera parte acutam, cum hic dicatur utrinque acuta. μάχαιραν δίστομον, siue duo habens ora, siue utrin que incidens. Nam & illud uocabulum quod ab alijs acutior, ab alijs penetrabilior transfertur, si decor pa teretur, posset magis transferri incidentior, seu ampe putantior, τομώτερος. Vt misericordiam cõsequa mur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno) ego mallem dicere in auxilium opportunum, ut græ ce habetur, εἰς εὔκαιρον βοήθειαν.

CAPVT V.

Qui iuxta mensuram suam cõdolere posset ijs) Non est græce suam, quod fortassis totum uno uerbo transferri poterat compassibilis: nam græce compati nunc dicitur μετριοπαθεῖν. Idem forte nõ male trãsferatur, qui particeps passionis possit esse. Si qui uocatur à deo tanquam Aaron) sicut, uel tan quam & Aaron, dicendum erat, non tanquam, καθά περ καί. Et interpretabilis ad dicendum) imò & difficilis ad interpretandũ, δυσερμήνευτος. Quæ sunt elementa exordij sermonum dei) eloquiorũ dei legendum est, λογίων. Qui pro consuetudine ha bent excitatos sermones) græce est, qui propter habi tum, διὰ τὴν ἕξιν.

CAP.

CAPVT VI.

QVapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem) imò omittentes, ἀφέντες. nec inchoationis dixissem potius quàm primordij, seu principij, τῆς ἀρχῆς. Meliora & uiciniora saluti) græce est uicina, seu propinqua, ἐχόμενα. Cupimus autem unumquemq; uestrũ eandẽ ostentare solicitudinem.) Non est græce ostentare, sed ostendere, seu demonstrare, ἐνδείκνυσθαι. Vt non segnes efficiamini, uerũ imitatores eorũ qui fide & patientia hæreditabunt promissiones) græce est per fidẽ & patientiam hæreditant, si modo hoc uerbũ reperitur, siue hæreditate possident, διὰ πίστεως καὶ μακροθυμίας κληρονομούντων. Iurauit per semetipsum dicens: nisi benedicẽs benedicam te.) Nõ est græce nisi, quod dicitur εἰ μὴ, sed qđ simile nonnihil est, ἦ μὴν quod est affirmantis & asseuerantis, id est uere uel profecto, uel enimuero, uel utiq;. Homines enim per maiorẽ sui iurãt) hoc est quod dixi superius, trãsferre casum è casu, quasi nos demus comparatiuo genitiuum more græco, ergo sic fuit dicẽdum: uerũ græce ista particula non legitur, sed subauditur.

CAPVT VII.

CVius autem generatio non annumeratur, in eis decimas sumpsit ab Abraam.) Et apertius diceretur & uerius: Is qui non numeratur ex generatione, siue ex familia eorum, decimas sumpsit,

ὁ δὲ

ὁ δὲ μὴ γενεαλογούμενος ἐξ αὐτῶν. Et ut ita dictum sit, per Abraam & Leui qui decimas accepit, decimatus est.) Consuetius est sic transferre, & ut sic dicam, καὶ ὡς ἔπος εἰπεῖν. nec legendum est accepit, ne intelligatur de Melchisedec, hoc est, leuita & sacerdos, ὁ δεκάτας λαμβάνων. Hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium.) Aeternum & sempiternum idem significant, & penè idem uocabulum sunt. At græce diuersa: dicitur enim sempiternum incommutabile, siue intransgressibile, siue impræuaricabile, ἀπαράβατον. Vnde & saluare in perpetuum potest accedens per semetipsum ad deum.) Legendum est, accedentes per ipsum, προσερχομένους δι' αὐτοῦ.

Aeternum. Sempiternum.

CAPVT VIII.

CApitulum autem super ea quæ dicuntur.) Cur non, summa autem, siue in summam autem super ijs quæ dicuntur? κεφάλαιον δὲ ἐπὶ τοῖς λεγομένοις. Qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis.) Cur nō, sicut superius, sedit? ἐκάθισεν, quod superius maiestatis, idem nunc ait magnitudinis, μεγαλοσύνης, superius ad dexteram, nunc in dextera, sed nunc magis græco respondet, ἐν δεξιᾷ.

Si ergo esset super terram, nec esset sacerdos.) Græce est, si enim esset, uel essent, siue, nam si essent quidem super terram. Reliquam quoque partem

sic transtulissem, non etiam sacerdos esset, id est, si essent munera & hostiæ, non tamen esset sacerdos idoneus, quia cæteri qui illa offerebant umbratice, & nõ uere offerebant, εἰ μὲν γὰρ ἦν ἐπὶ γῆς, οὐδ᾽ ἂν ἦν ἱερεύς. Nam si illud prius culpa uacasset, non utiq; secundi locus inquireretur.) Culpa non uidetur nunc uocabulum idoneum. græce sic est: Si enim primum illud irreprehensibile esset, siue inuituperabile esset, siue: Nisi enim primum illud uituperabile esset, non inquireretur secundi locus, εἰ γὰρ ἡ πρώτη ἐκείνη ἦν ἄμεμπτος, οὐκ ἂν δευτέρας τόπος ἐζητεῖτο. Ecce dies ueniet, dicit dominus) ueniunt legẽdum est, ἔρχονται. Dicendo autem nouum, ueterauit prius) ego dixissem antiquauit primum, πεπαλαίωκε τὴν πρώτην. Nõ modo quia ueterare in sensum passiuum nescio an reperiatur, ut nunc accipiendum est, sed etiam quia idem uerbum est quod illud sequens: Quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est, παλαιούμενον.

CAPVT IX.

Et sanctum seculare.) græce, ut iterum dixi, est mundanum potius quàm seculare, κοσμικόν. Vsq; ad tempus correctionis impositis.) Legendum est impositi: refertur enim ad nominatiuum munera & hostiæ, non ad ablatiuum cibis, & potibus & baptismis, & iustitijs, ἐπικείμενα. Christus autẽ assistens pontifex futurorum.) Quid sibi uult hoc uerbum

tum assistens? An patri assistens? at hoc subaudiri non potest. Praeterea non diceretur paulò post, Introiuit in sancta. Ergo uerum esse docet ratio, quod graece legitur, ueniens seu aduenienis, παραγενόμενος. Non enim in manufactis Iesus introiuit exemplaria uerorum. Melius sic in quibusdam codicibus legitur: Non enim in manufacta sancta introiuit Iesus, εἰς χειροποίητα ἅγια εἰσῆλθεν ὁ χριστός. Ad multorũ exhauriẽda peccata) graece est, ad multorum referenda, siue exhibenda peccata, uidelicet ut remitterẽtur à patre, ἀνενεγκεῖν.

CAPVT X.

HAbentes itaq; fratres in introitu sanctorum, in sanguine Christi, quam nũciauit nobis uiã nouam.) In introitum potius legendum, quod uidelicet confidamus introire in sancta: nam quid est nunc in introitu sanctorum? & ita graece habetur, εἰς τὴν εἴσοδον. Posset etiam transferri, quem, hoc est introitum: nã graece introitus est generis foeminini. Nec accipiendum est, ut quidam faciũt, nunciauit pro inchoauit, sed pro consecrauit, seu dedicauit: nam idem hic graece uocabulum ἐνεκαίνισεν, & superius dedicatum est, ἐγκεκαίνισαι. Mihi uindictam, ego retribuam.) Nominatiuo legendum est uindicta, ἐκδίκησις. In altero quidem opprobrijs & passionibus spectaculum facti: in altero autem socij taliter cõuersantium effecti.) Apertius transferretur pro his in

altero, bis tum, τοῦτο μὲν, τοῦτο δὲ. Spectaculũ facti, græce dicitur, theatro expositi, id est theatrizati, θεατριζόμενοι. Theatrum græce, latine spectaculũ & spectacula dicitur. Nã & uinctis cõpassi estis.) Pudendum est uicem latinorum, qui ita sacrorum librorum ueritatem corrumpi permiserunt, ne dicam corruperunt: nam hic locus præcipue probat hãc epistolam esse Pauli, cum dicat, compassi estis uinculis meis, non uinctis, δεσμοῖς μου. Iustus autem ex fide uiuit) legendum est uiuet, ζήσεται.

Probat hãc epistolam esse Pauli.

CAPVT XI.

Est enim fides sperandarum substantia rerum, argumentum non appparentium.) Cur sperandarũ, quod est futuri, & apparentium, quod est præsentis? græce est eiusdem temporis, ἐλπιζομένων, id est, quæ sperantur, οὐ βλεπομένων, id est quæ non uidētur. Fide plurimam hostiam Abel quàm Cain obtulit deo, per quam testimonium consequutus est esse iustus.) Interpres ne diceret plurem hostiam, quod non reperitur, abusus est superlatiuo pro comparatiuo, quasi non posset dicere plus hostiarum, πλείονα θυσίαν. etiam, esse iustus, græcanice dixit, cum dicere posset, testimonio probatus est esse iustus, ἐμαρτυρήθη εἶναι δίκαιος. Fide qui uocatur Abraam obediuit.) Fide uocatus Abrahã obediuit, transferendum fuit, aut sic translatum est, ergo & sic legendum.

legendū, πίστει καλούμενος. In casulis habitādo) græce est, in tentorijs, siue tētorijs, id est in scenis, ἐν σκηναῖς. Et si quidē meminissent de qua exierāt, habebant utiq; tēpus reuertendi, nūc aūt meliorē ap petūt, id est cœlestē.) Nō de præterito loquitur Apo stolus, sed de præsenti, ideoq; sic fuit transferendum: Et si quidem illius recordarētur ex qua exierunt, ha berent tempus reuertendi, καὶ εἰ μὲν ἐκείνης ἐμνη μόνευον ἀφ᾽ ἧς ἐξῆλθον, εἶχον ἂν καιρὸν ἀνακάμ ψαι. Propter quod ab uno orti sunt, & hoc emor tuo tanquàm sydera cœli.) Legendum est orta, quod tamen græce ambiguum est. Certe hæc, non hoc, re fertur enim orta ad sydera, quod perinde est ac si di ceretur, & quidem emortuo, ἐγεννήθησαν καὶ ταῦτα νενεκρωμένου. Ideo non confunditur deus uoca ri deus eorum.) Deus pro deum dixit, more græco, non latino. dicitur enim: Ille erubescit uocari bonum, non bonus: recte autem, cupit aut timet uocari bo nus. Sed cur confunditur potius dixit, quàm pudet? idq; aliquoties, ut græce est, ἐπαισχύνεται. Vnde eum & in parabolam accepit.) Alium sensum facit nunc accusatiuus quàm ut est græce datiuus, id est no ster ablatiuus, ἐπὶ παραβολῇ. Et adorauit fasti gium uirgæ eius.) Ad quid refertur eius? si ad Iacob, dicendum fuit suæ: sed si ad Ioseph, dicendū fuit eius. Sed cur fastigium potius quàm summitatem, ut græce est? nec adorauit fastigiū, sed super fastigium, ἐπὶ τὸ

ἄκερον τῆς ῥᾴδου αὐτοῦ. Magis eligens affligi cū populo dei, quàm temporalis delicti habere iucunditatem) græce est fruitionem, ἀπόλαυσιν. Nec latine recte dicitur, habeo iucunditatem, sed uoluptatem, & delectationem: ut iucūditas uocis, uoluptas uero siue delectatio eam audientis. Et quid adhuc dicam) legendum est dico, λέγω.

Iucunditas Voluptas.

CAPVT XII.

Ideoq; & nos tantam habentes impositam nubē testium, deponentes omne pondus & circundans nos peccatum) græce est circumpositam, περικείμενον. nec circundans, sed facile, seu bene circundans, εὐπερίστατον. In autorem fidei) posset etiam trāsferri, in principem, siue ducem, doctorémue, ἀρχηγόν. Confusione cōtempta.) Confusionem intelligamus pudorē, siue ignominiam: quanquā nunc propter uerbū præteriti tēporis antecedens poterat nō indecore transferri per participium præsentis temporis, certe ad maiorem sententiæ lucem, sic: Ignominiam contemnens, seu pro nihilo ducens, αἰσχύνης καταφρονήσας. Vt non fatigemini animis uestris deficientes) Melius foret defatigemini, hoc est, labore deficiatis: animis etiam pro animabus dixit, haud dubie elegantius, καμνητε ταῖς ψυχαῖς. Fili mi noli negligere disciplinam domini, neq; fatigaris dum ab eo argueris: quem enim diligit dominus castigat, flagellat aūt omnem filiū quem recipit. In disciplina perseuerate.

tanquam

tanquam filijs uobis se offert deus. Quis enim est filius quem non corripit pater? quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulterini & non filij estis, deinde patres quidem carnis habuimus eruditores.) Propter hunc locum, & si qui sint similes, moris est quibusdam disciplinam appellare castigationem & correctionem, quàm autem recte ipsi uiderint. Nos autem sciamus pro disciplina, pro castigatione, pro correctione, pro eruditione, unum atq; idem graece esse uocabulum, παιδείαν, quod proprie eruditio est, & uelut puerorum institutio. Adulterini pro illegitimi, siue, ut quidam Iurisconsulti loquuntur, pro spurij, parum proprie dictum est. Veteres ipso graeco nothi utebantur, νόθοι, ut Cato testatur: quemadmodum est apud Quintilianum, inquiēs: Quia caremus domestico, utimur peregrino. Haud scio, an interpres nec peregrino, id est ipso graeco, nec hoc quo quidam Iurisconsulti, & alij quidam utūtur, tanquàm parum probabili uti uoluerit: forte nūc magis fuit transferendum liberi quàm filij, quia illegitimi, tamen filij sunt, sed fortasse non liberi uocandi, ut etiam idem Quintilianus notat. Scitote enim.) Scitis legendum est, etsi ambiguum est graece, non tamen sensus ambiguus, ἴστε. Non enim accessistis ad tractabilem montem, & accessibilem ignem.) Accensibilē, siue accensum legendum est, κεκαυμένῳ.

παιδεία. Nothi. Spurius. Liberi.

CAPVT XIII.

PEr hanc enim placuerũt quidam angelis hospitio receptis.) Latuerunt legendum est, siue per hanc latuit quosdam, quod angelos in hospitium accepissent, ἔλαθόν τινες ξενίσαντες ἀγγέλους. Mementote uinctorum tanquam simul uincti, & laborantiũ tanquàm ipsi in corpore morantes) græce est, tanquã estis in corpore, supple laborantium: intellige tamen laborantium, id est ærumnas patientium, τῶν κακουχουμένων, ὡς αὐτοὶ ὄντες ἐν σώματι. Et thorus immaculatus) græce est concubitus, κοίτη, quemadmodum transtulit interpres in epistola ad Romanos, ubi de Isaac & Rebecca Paulus loquitur, κοίτην. Etenim paucis scripsi uobis.) Per pauca legendũ est, ut non sit unum nomẽ compositũ, sed duæ dictiones, διὰ βραχέων

Annotationum in omnes Pauli epistolas, finis.

LAV.



LAVRENTII VALLAE IN EPISTOLAS Canonicas annotationes.

In epistolam Iacobi.

CAPVT I.



Postulet à deo qui dat omnibus affluenter, & non improperat) græce non est affluenter, sed simpliciter, ἁπλῶς. Glorietur autē frater humilis in exaltatione sua) imò in altitudine, siue in sublimitate sua, ἐν τῷ ὕψει. Voluntarie enim genuit nos uerbo ueritatis, ut simus initium aliquod creaturæ eius.) Ego dixissem, uolens concepit nos uerbo ueritatis, ut essemus primitiæ quædam creaturarum eius, seu suarum, βουληθεὶς ἀπεκύησεν ἡμᾶς λόγῳ ἀληθείας εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς ἀπαρχήν τινα τῶν κτισμάτων αὐτοῦ. Scitis fratres mei dilectissimi, omnis homo uelox ad audiendum) græce est, itaq; fratres mei, ὥστε. Et immaculatum se custodire ab hoc seculo) græce est ab hoc mundo, τοῦ κόσμου.

CAPVT II.

IN ueste candida) græce est, fulgida, λαμπρᾷ, nam paulò post idem uocabulum aliter transfertur: Et intendatis in eum qui indutus est ueste præclara, τὴν λαμπρὰν. Superexaltat misericordia iudicium) græce est supergloriatur, κατακαυχᾶται ἔλεος κρίσεως, siue gloriatur misericordia aduersus iudicium, ut est in epistola ad Romanos: Noli gloriari aduersus ramos; si autem gloriaris; μὴ κατακαυχῶ τῶν κλάδων, εἰ δὲ κατακαυχᾶσαι. & in hac epistola post: Nolite gloriari, μὴ κατακαυχᾶσθε.

CAPVT III.

SCientes quoniam maius iudiciũ sumitis.) Non secũdæ personæ est græce, sed primæ: nec præsentis tẽporis, sed futuri, sumemus, uel potius accipiemus. Sumimus enim uolentes, accipimus autẽ interdum & & nolentes: ut accepi uulnus, iniuriam, damnum, non sumpsi, λημψόμεθα. Ecce & naues cũ magnæ sint) Cum tantæ sint legendum est, τηλικαῦτα ὄντα.

Sumere, Accipere.

Ecce quantus ignis quàm magnam syluam incendit.) Puto esse translatum, quantulus, nam græce est exiguus, ὀλίγον, nec quàm magnam, sed quantam græce est, ἡλίκην. Deinde pacifica, modesta, suasibilis) potius persuasibilis, seu facilis persuasu, εὐπειθής. Nónne huic ex cõcupiscentijs) imò ex uoluptatibus, ἐκ τῶν ἡδονῶν. Non habetis, propter quod nõ postulatis.) Non fuit transferendum propter quod, sed

quia,

quia, siue propterea quod non postulatis, διὰ τὸ μὴ αἰτεῖσθαι ὑμᾶς. Nam uidentur isti non ideo non habere, quia non postulant: sed ideo non postulare, quia non habent.

CAPVT IIII.

NVnc autem exultatis in superbijs uestris) imò gloriamini, καυχᾶσθε.

CAPVT V.

EPulati estis super terram, & in luxurijs enutristis corda uestra, in die occisionis adduxistis, occidistis iustum, & non restitit uobis.) Qui sensus in uerbo adduxistis? Opinor interpretem traduxisse, addixistis, hoc est condemnastis. Nam græce est, κατεδικάσατε. Addicere enim pro damnare accipitur, ut apud Ciceronem in libris Officiorum: Is qui morti addictus esset. Ego tamē sic transferrem (nam alia sunt quæ à græco discrepant) deliciose egistis super terram & laute, aluistis corda uestra, quasi in die mactationis condemnastis, occidistis iustum, non restitit uobis, ἐτρυφήσατε ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ ἐσπαταλήσατε, ἐθρέψατε τὰς καρδίας ὑμῶν, ὡς ἐν ἡμέρᾳ σφαγῆς, κατεδικάσατε, ἐφονεύσατε τὸν δίκαιον, οὐκ ἀντιτάσσεται ὑμῖν. Donec accipiat temporaneū & serotinum) græce est, donec accipiat pluuiam matutinam & uespertinam, ὑετὸν πρώϊμον καὶ ὄψιμον. Ecce beatificamus qui sustinuerunt) hoc idem est uocabulum græce quod illa duo, beatum dicimus,

Addicere.

ſiue beatum facimus, μακαρίζομεν. Quoniam miſericors eſt dominus & miſerator) græce eſt, quoniã ualde miſericors, πολύσπλαγχνος. Sit autem ſermo ueſter eſt eſt, non non) græce eſt, ut ſuperius quoq; teſtatus ſum, quod eſt etiam, etiam, & quod eſt non, non: id eſt cum affirmatis, etiam: cum negatis, non: τὸ ναὶ ναὶ, καὶ τὸ οὒ οὔ. Triſtatur aliquis ueſtrum, oret æquo animo & pſallat.) Corrupta ſcriptura eſt, nam legendum eſt: Triſtatur quis, ſiue affligitur, ſiue in ærumna eſt quis inter uos? oret: lætus eſt quis, ſiue animo læto, ſiue bene affecto eſt quis? pſallat, κακοπαθεῖ τίς ἐν ὑμῖν; προσευχέσθω, εὐθυμεῖ τίς; ψαλλέτω. Confitemini alterutrum peccata ueſtra, & orate pro inuicem.) Quis hanc ſermonis barbariem ferat, pro inuicem? ſic transferendum erat: Confitemini mutuo peccata ueſtra, & orate pro uobis mutuo, ὑπὲρ ἀλλήλων. Et ſaluabit animam eius à morte.) Non legitur græce eius, quod magis erat dicendum ſuam.

FINIS.

LAV-

LAVRENTII VALLAE IN EPI-
stolam beati Petri primam an-
notationes.

CAPVT I.



Vibus reuelatum est, quoniam non sibijpsis, nobis autem ministrabant ea quæ nunc nunciata sunt uobis per eos qui euangelizauerunt uobis spiritusancto misso de cœlo, in quem desiderant angeli prospicere) ego dixissem, quod non sibijpsis, sed nobis. Illud certe hominum incuria deprauatum est, quod probe translatum fuerat, qui euangelizauerunt uos in spiritusancto, misso de cœlo, in quæ, εὐαγγελισαμένων ὑμᾶς ἐν πνεύματι ἁγίῳ ἀποσταλέντι ἀπ' οὐρανοῦ, εἰς ἃ. Nam quod angeli concupiscant intueri spiritumsanctum, nec ulli est ignotum, nec ad hunc locum pertinet, sed quod cupiant intueri in ea quæ de Christo nunciata sunt. Sobrij perfecte sperate.) Male à quibusdam emendatur perfecti, τελείως. Quasi filij obedientiæ) tanquam fuit transferendum, ὡς. & item posterius, quasi agni incontaminati, ὡς. In eam quæ offertur uobis gratiam) græce est fertur, φερομένην. Sancti eritis, quoniã ego sanctus) Legendũ est, sancti efficiamini, siue fiatis, γίνεσθε.

CAPVT II.

Sicut modo geniti ĩfantes rõnabiles sine dolo lac cõcupiscite, legẽdũ est rationabile, uidelicet lac;

nam absurdum sit dicere concupiscite lac quasi uerum lac, τὸ λογικὸν. etiam illud, sine dolo, ad lac refertur, quod græce est una dictio, ἄδολον. uelut quoque potius quàm sicut dixissem, ὡς. Et ipsi tanquam lapides superædificamini domos spirituales) & nominatiuo casu, & numero singulari legẽdum est, domus spiritualis, οἶκος πνευματικός. Ecce ponam in Sion) pono legendum est, τίθημι. Lapidem supremũ angularẽ, electũ, preciosum: & qui crediderit in eũ, nõ cõfundetur: uobis igitur honor credẽtibus, nõ credẽtibus autẽ lapis quẽ reprobauerũt ædificantes: hic factus est in caput anguli, & lapis offensionis, & petra scandali.) Cur dixit, uobis honor? an quod honor aliquis sit uobis? Atqui honor appositum est, non suppositum: quod ergo suppositũ? nempe lapis. Quid autem attinebat dicere, quod lapis est uobis honor? quia dixerat lapidem honorificũ: sic enim interpres paulò ante trãstulerat, siue honorificatum: Ad quem accedentes lapidem uiuum ab hominibus quidem reprobatum, à deo autem electum & honorificatum. Igitur non preciosum transferre debuit, sed honorificum, ἔντιμον. Nec est græce accusatiuus casus in eũ, sed in eo, quod tamen, ut superius ostẽdi, nihil differt, ἐπ᾽ αὐτῷ. Vt in eo quod detrectant de uobis tanquã de malefactoribus, ex bonis operibus uos considerantes, glorificent deum in die uisitationis. Subiecti estote omni creaturæ propter deum, siue regi, quasi præcellẽti,

cellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis ad uindictam malorum, laudem uero bonorum.) Magis dicendũ erat obtrectant, siue detrahunt, siue uituperãt uos, quàm detrectant, καταλαλοῦσιν. Melius igitur posterius, in eo quod detrahunt de uobis, καταλαλοῦσιν ὑμῶν. & magis quasi malefactoribus, quàm quasi praecellentibus: utrobique autem est eadẽ dictio graeca ὡς. & magis inspectionis quàm uisitationis, est enim graece episcopatus, ἐπισκοπῆς. & magis subditi este siue sitis, quàm estote, ὑποτάγητε. duae quoq; dictiones desunt, igitur & quidem, ut sit, subijciamur igitur, οὖν, & ad uindictam quidem malefactorum, μὲν. Sed etiam discolis) graecum uocabulũ est discolus, quod nunc nõ legitur, sed σκολιοῖς, quod est prauis & malignis. Quae enim gratia si peccãtes & colaphizati suffertis) graece est, quae enim est gloria, ποῖον γὰρ κλέος, & tamen in quibusdam codicibus sic scriptum legitur. Tradebat autem iudicanti se iniuste) graece non legitur se, nec iniuste, sed iuste, hoc est, tradebat hoc deo, qui iuste iudicat, δικαίως.

CAPVT III.

Coërceat linguam suam à malo, & labia eius ne loquantur dolum.) Cur nõ & labia sua, sicut linguam suam? αὐτοῦ. In quo & ijs qui in carcere inclusi erant spiritu ueniens praedicauit, qui increduli aliquando fuerant, & expectabant dei patientiam) graece est spiritibus, non spiritu, πνεύμασι. Item

aliquando incredulis, quando expectabatur dei lon-ganimitas, ἀπειθήσασί ποτε ὅτε ἐξεδέχετο ἡ τοῦ θεοῦ μακροθυμία. Octo animae saluae factae sunt per aquam, quod & nos nunc similis formae saluos fecit baptisma) hoc relatiuū refertur ad aquā, quae graece est neutri generis, ὕδατος. Ideo & eodē genere per imprudentiā transtulit interpres, nisi uoluit referre ad baptisma: quod cū dicatur graece una dictione similis formae, & genere neutro, ἀντίτυπον, uix quispiā hūc locū legēs intelligit. quare sic uerba collocassem, sicque transtulissem, quae nunc similis formae baptisma, siue cui nunc antitypū baptisma & nos saluos facit, non aūt fecit: est enim praesentis temporis, σώζει.

CAPVT IIII.

IN quo admirantur) graece est, in quo hospitantur, siue hospites sunt, ξενίζονται. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniā quod est honoris, gloriae, uirtutis dei, & qui est eius spiritus, super uos requiescit. Nemo aūt uestrum patiatur quasi homicida & fur.) Non legitur graece eritis, sed subauditur estis: quod aūt sequitur, sic legitur: quoniā qui gloriae & dei spiritus super uos requiescit, secundum eos quidē blasphematur, secūdū uos aūt glorificatur. Nemo enī uestrū patiatur ut homicida. ὅτι τὸ τῆς δόξης, καὶ τὸ τοῦ θεοῦ πνεῦμα ἐφ᾽ ὑμᾶς ἀναπαύεται, κατὰ μὲν αὐτοὺς βλασφημεῖται, κατὰ δὲ ὑμᾶς δοξάζεται

ξάζετε. μὴ γάρ τις. Dixi legendũ ut homicida, nõ quasi, quia etiã sanctus & innocẽs potest pati, & sæpe passus est quasi malus, id est cũ talis non esset, melius ergo statim post: Si autẽ ut christianus non erubescat, glorificet aũt deũ in isto nomine) in ista parte legendũ est, ἐν τούτῳ τῷ μέρει. Quoniã tẽpus est, ut incipiat iudiciũ de domo dei) legẽdũ est à domo dei, ἀπὸ τοῦ οἴκου Et si iustus quidẽ uix saluabitur) græce est, & si iustus uix saluatur, καὶ εἰ δίκαιος μόλις σώζεται.

CAPVT V.

Seniores ergo qui in uobis sunt obsecro consenior) ergo, non legitur græce. Sed cur non potius presbyteros, qui in uobis sunt, hortor cõpresbyter? non modo quia hæc uox græca est, πρεσβυτέρους τοὺς ἐν ὑμῖν παρακαλῶ ὁ συμπρεσβύτερος, sed etiam quia sequitur: Pascite eum qui in uobis est, gregem dei prouidentes. pascere enim gregem dei est presbyterorum, siue episcoporum. Nam illud prouidentes dicitur græce episcopantes, ἐπισκοποῦντες. Mirórque Augustinum dicere, episcopus interpretari latine superintendens, Sed forma facti gregis ex animo) non legitur græce, ex animo, nec forma, sed formæ, siue exemplaria, τύποι. Vt uos exaltet in tempore tribulationis.) In quibusdam codicibus legitur uisitationis, neutrum græce. Tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.) Non quærit diabolus quem è multis deuoret, omnes

enim cupit deuorare: sed cum omnes deuorare non possit, quærit aliquem ad deuorandum: & ita habet græce, ζητῶν τινα καταπιεῖν, id est quærens aliquē deuorare. Scientes eandem passionem) græce est, easdem passiones, siue idem passionum, τὰ αὐτὰ τῶν παθημάτων.

F I N I S.

LAVRENTII VALLAE ANNOTATIONES IN EPISTOLAM BEATI PETRI SECUNDAM.

CAPVT I.



Imon Petrus.) Vt superius docui, græce est Symeō per y, συμεὼν πέτρος. Fugientes eius quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem: uos autem curam omnem subinferentes, subministrare in fide uestra uirtutem, in uirtute autem scientiam) græce est, aufugientes quæ in mundo est in concupiscentia corruptionem, & in hoc ipsum curam omnem conferentes, siue impendētes, ἀποφυγόντες τῆς ἐν κόσμῳ ἐν ἐπιθυμίᾳ φθορᾶς, καὶ αὐτὸ δὲ τοῦτο σπουδὴν πᾶσαν παρεισενέγκαντες. Virtus hoc loco suo proprio appellatur, à qua uiri boni fiūt, ἀρετῆ, sicut paulò quoque ante: Qui uocauit nos propria & uirtute; ἀρετῇ.

Virtus.

ἀρετῆ. Nam illud paulò superius, diuinæ uirtutis suæ, aliud uocabulum est, quod ante semper usurpatū est, quodq; superius exposui, δυνάμεως. Hæc enim si uobiscum assint, & superent, non uacuos, nec sine fructu uos constituent in domini nostri Iesu Christi cognitione. Cui enim non præstò sunt hæc? cæcus est & manu tentantis obliuionem accipiens purgationis ueterum delictorum) uellem, ut eleganter dixit superent pro abundent, siue abundant, πλεονάζοντα, et præstò sunt pro assunt, πάρεστι, ita eleganter dixisset uobis, non uobiscum assunt, ὑμῖν ὑπάρχοντα. Illud autem tempore corruptum est, manu tentantis, pro manu tentans, μυωπάζων. Propter quod incipiam uos semper commonere de his, & quidem scientes et confirmatos in præsenti ueritate) quomodo potest quis semper incipere commonere? ergo ad græcā ueritatem recurrendum est, οὐκ ἀμελήσω, id est non omittam. Nec legendum est, & quidem, sed etsi, siue quanquam, καίπερ. Dabo autem operam) σπουδάσω, melius hic quàm superius, Quapropter fratres magis satagite, σπουδάσατε, & posterius, satagite immaculati, σπουδάσατε. Et frequēter habere uos post obitum meum, ut horū memoriam faciatis. Non enim indoctas fabulas sequuti) græce non est frequenter, sed semper, ἑκάστοτε. nec indoctas, sed doctas fabulas, σεσοφισμένοις, quasi astutas et sophisticas. Sed speculatores facti illius magnitudinis) Neque à

speculum, neq; à specula dicitur hoc nomen. Ideóque non minus apte transferatur inspectores, siue cõtemplatores, ἐπόπται. Illius autem ad Christum refertur: est enim generis masculini, ἐκείνου. Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacuit) græce est, in quo ego complacui, siue beneplacui, siue bene uolui. Nam ab hoc dicta est eudocia: casus quoq; accusatiui est illud relatiuum, quod nescio an nunc bene possit transferri in quem, εἰς ὃν ἐγὼ εὐδόκησα.

CAPVT II.

SEctas non metuunt introducere) græce non legitur introducere, nec metuunt, sed tremunt, τρέμουσι, nec sectas hic idem uocabulum quod paulò ante, ubi dicitur, qui introducũt sectas perditionis. Nã illic dicitur hæreses, αἱρέσεις, hic autem opiniones, δόξας. Execrabile iudicium) græca uox est blasphemum, quam nũc interpres transfert execrabile, βλάσφημον. Hic uero uelut irrationabilia pecora naturaliter in captionem) ἄλογα ζῶα. eadem græca uocabula aliter transferuntur in epistola Iudæ animalia quàm hic pecora, ζῶα. Indifferenter tamen utrobiq; transferri potest, uel irrationabilia uel muta, ἄλογα. Illud autem naturaliter in captionem, græce est naturalia genita in captionẽ, φυσικὰ γεγενημένα εἰς ἅλωσιν. Voluptatẽ existimantes diei delitias coinquinationis & maculæ, delitijs affluẽtes, in conuiuijs suis luxuriantes uobiscum) græce est, in die delitias

litias inquinati & maculosi, delitijs affluentes, siue delitijs operam dantes, siue delitiosi in erroribus suis conuiuantes uobiscum, τὴν ἐν ἡμέρᾳ τρυφὴν σπίλοι, καὶ μῶμοι ἐντρυφῶντες ἐν ταῖς ἀπάταις συνευωχούμενοι ὑμῖν. Sequuti uiam Balaam ex Bosor) græce est filium Bosor, τοῦ βοσόρ. Eos qui paululum effugiunt.) Credo interpretem transtulisse planè, non paululũ, quod est uel indubie, uel omnino, uel utique, ὄντως. Facta sunt eis posteriora deteriora prioribus) græce est, Facta sunt eis ultima deteriora primis, τὰ ἔσχατα χείρονα τῶν πρώτων. Et nunc & in diem æternitatis.) Non peius in die, etsi est casus accusatiuus græce. æternitatis proprie dicitur græce seculi, εἰς ἡμέραν αἰῶνος.

FINIS.

LAVRENTII VALLAE IN EPIstolam Ioannis I. annotationes.

CAPVT I.



Vod fuit ab initio.) Cur nõ q̃d erat, ἦν, sicut in euangelio, In principio erat uerbũ, ἦν.

CAP. II.

Qui dicit se nosse deũ) aliquis confidens hunc emendauit locũ, pro eum scribens deum.

Nam græce ita est: qui dicit noui eũ, ἔγνωκα αὐτὸν.

Scribo uobis infantes, quia cognouistis patrem.) Quis ad infantes scribit? Cur non potius, scribo uobis pueri, aut scribo uobis filij, παιδία, aut filioli, quemadmodum paulò post transfert, filioli nouissima hora est, παιδία? Et superbia uitæ.) Non minus apte transferri posset, facultatum. Nam nunc non ea uita qua spiritum ducimus, intelligenda est, βίος, sed quã postea idẽ trãsfert aliter in hac ipsa epistola, Qui habuerit substantiã mũdi, βίον. facultates & substãtia nunc idẽ sunt. Quia antichristus uenit) præsentis tẽporis est uenit, ἔρχεται. Nõ scripsi uobis quasi ignorãtibus ueritatẽ, sed quasi scientibus eã) græce est, nõ scripsi uobis, quia nescitis ueritatẽ, sed quia scitis eã, ὅτι οὐκ οἴδατε. Hoc annotaui propter illud, quasi secundo loco male positum. Vnctionem quam accepistis ab eo, maneat in uobis) unctio dicendum fuit: nam græce nominatiuus casus est, etsi propter neutralitatem generis est anceps, χρίσμα.

CAPVT III.

Vt filij dei nominemur & simus.) Non legitur græce, & simus.

CAPVT IIII.

Et omnis spiritus q̃ soluit Iesum, ex deo nõ est: & hic est antichristus de quo audistis, quoniam uenit) græce non est soluit, sed, non confitetur, μὴ ὁμολογεῖ. nec antichristus, sed antichristi, uidelicet

hic

hic spiritus, quod græce est neutri generis, καὶ τοῦτο ἐστὶ τὸ τοῦ ἀντιχρίστου, hoc est, & hic est antichristi spiritus: uel potius, & hoc est antichristi, id est proprium antichristi: qui quod uenit audistis, legendum est, nō de quo, ὃ ἀκηκόατε, ὅτι ἔρχεται. Vos ex deo estis filioli, & uicistis eum) eos legendum est, αὐτούς.

Qui enim non diligit fratrem suum quem uidet, deū quē nō uidet, quomodo potest diligere?) In utroque legendum est uidit, ἑώρακε.

CAPVT V.

ET hi tres unum sunt) græce est, & hi tres in unum sunt, εἰς τὸ ἕν εἰσι. Est peccatū ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis: omnis iniquitas peccatum est, & est peccatum ad mortem.) In hoc secundo addenda negatio est, legendumq; sic, & est peccatum ad mortem, καὶ ἔστιν ἁμαρτία οὐ πρὸς θάνατον. Sed generatio dei cōseruat eū) græce est, sed genitus ex deo conseruat seipsum, ἀλλ' ὁ γεννηθεὶς ἐκ τοῦ θεοῦ τηρεῖ ἑαυτόν.

FINIS.

LAVRENTII VALLAE IN EPI-
stolam Ioannis, II. annotationes.

Ioannes presbyter.



Senior electae dominae.) Cur non presbyter electae dominae? Nam hunc Ioannem negat Hieronymus esse euangelistam, sed alium cognomine presbyterũ: presbyter enim, ut superius diximus, dicitur graece qui latine senior, ὁ πρεσβύτερος. Omnis qui praecedit, & non permanet in doctrina Christi, deum non habet qui permanet) graece est: Omnis qui praeuaricatur, siue omnis praeuaricans, παραβαίνων. & utrobiq; manet, non permanet, siue manens, μένων.

Nec aue ei dixeritis, qui enim dicit illi aue.) Non est graece imperatiuus modus, ut in illo, Aue gratia plena: sed infinitiuus, ut in illo, Lysias Claudius Festo salutem, χαίρειν. Ergo alius transtulisset: Nec salutem ei dixeritis. Spero enim futurum me ad uos) non est graece futurum, sed uenire, ἐλθεῖν. Et os ad os loqui) ut illud, spero me futurum ad uos, parum latinũ est, ita & hoc, etsi graece respondet, os ad os, dicendum erat, ore ad os.

FINIS.

LAV.

stolã Ioannis, III. annotationes.

CAPVT I.



Enior Caio charissimo quem diligo in ueritate, charissime) dixi superius de nomine senior. charissimus non est græce superlatiui, ἀγαπητὸς, quod trãsferre interpres solet dilectus. Orationem facio prospere te ingredi & ualere, sicut prospere agit anima tua) ego potius dixissem opto, quàm orationem facio εὔχομαι. & cur non sic dixit prospere agere interpres, εὐοδοῦσθαι, ut dixit prospere agit, εὐοδοῦται? aut cur non dixit, hoc prospere ingreditur, siue prospere iter facit, ut dixit, illud prospere ingredi, cum idem uerbum sit? Maiorem horum non habeo gratiam) græce est gaudium, siue lætitiam genere fœminino, ut sciamus genus mutari oportuisse, si translatũ est gaudium, χαρὰν. Etiam his non horum dicendũ fuit: quidam tamen græci codices habent genitiuum singularem, id est non τούτων, sed ταύτης. In quibus si recte scribitur, legẽdum est, maius hoc gaudiũ, siue maiorem hanc lætitiam. Quos benefaciens deducis digne deo) græce est, quos bene facies præmittens, siue cum præmiseris digne deo, καλῶς ποιήσας προπέμψας. Scripsissem forsitan ecclesiæ) græce est, scripsi ecclesiæ, ἔγραψα τῇ ἐκκλησίᾳ. Propter hoc si ueniam commoneã eius opera quæ facit.)

Commonebo legendum est, siue in memoriam redigam. ὑπομνήσω. Et quasi ei non ista sufficiāt) græce est, & his ei non sufficientibus, siue & his non contentus, καὶ μὴ ἀρκούμενος ἐπὶ τούτοις.

FINIS.

LAVRENTII VALLAE IN EPIstolam Iudæ annotationes.


DEprecās supcertari semel traditæ sanctis fidei) dure trāslatum, ego sic trāsferrem: exhortans incumbere siue illaborare. Nam hoc uerbum frequenter transfert, laboro, παρακαλῶν ἐπαγωνίζεσθαι.
Similiter & hi carnem quidem maculant) græce est, & hi somniatores carnem quidem maculant, ἐνυπνιζόμενοι, σάρκα μὲν. Væ illis qui in uia Cain abierunt) græce est, Væ eis, qui in uia Cain perrexerunt. οὐαὶ αὐτοῖς, ὅτι τῇ ὁδῷ τοῦ κάϊν ἐπορεύθησαν.
Hi sunt in epulis suis) græce est, in dilectionibus uestris, ἀγάπαις ὑμῶν. Et secundum quasdam æditiones, in deceptionibus uestris, ἀπάταις ὑμῶν.
Prophetauit autem de his septimus ab Adam Enoch)non est de his græce, sed per datiuum & his, καὶ τούτοις. Et hos quidem arguite iudicatos, illos
uero

uero saluate de igne rapientes.) Ego quidem sic transferrem, & alios quidem arguite discernendo, alios uero in timore saluate ex igne rapientes, καὶ οὓς μὲν ἐλέγχετε διακρινόμενοι, οὓς δὲ ἐν φόβῳ σώζετε ἐκ πυρὸς ἁρπάζοντες.

Annotationum in epistolas Catholicas, quæ apud Latinos Canonicæ appellantur, Finis.



LAVRENTII VALLAE IN APOCALYPSIM ANNOTATIONES.

CAPVT I.



Apocalypsis Iesu Christi.) Cum semper hoc uocabulum superius reperiamus translatum, cur nũc in græca uoce relinquitur? ἀποκάλυψις. Quã dedit illi deus palàm facere seruis suis quæ oportet fieri citò.) Nescio an interpres scriptũ reliquerit plana facere, ut foret apertior sensus, non Apocalypsis.

Apocalypsim aperiri, sed quæ oportet fieri citò. Nã sæpius dicitur, planum facio, quàm palàm facio, & græce uno uerbo dicitur ostendere, δεῖξαι. Qui testimonium perhibuit uerbo dei & testimonium Iesu Christi, in ijs quæcunque uidit: beatus qui legit.)

Planum facio.

Quò refertur illud, testimonium Iesu Christi? græce eiusdem casus est cuius uerbo, τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, καὶ τὴν μαρτυρίαν. Quare ego dixissem uno uerbo, sicuti est græce, qui testatus est uerbum dei, & testimonium Iesu Christi, ἐμαρτύρησε. Sed neq; legitur græce, in ijs, sed tantum quæcunque uidit, & item quæ in nostris codicibus desunt, καὶ ἅ τινά εἰσι, καὶ ἃ χρὴ γενέσθαι μετὰ ταῦτα, id est, & quæ sunt, & quæ oportet fieri post hæc. Beatus qui legit, & qui audit uerba prophetiæ huius, & seruat quæ in ea scripta sunt) non legitur græce, huius, estq; generalis sententia de omni prophetia. cætera melius legũtur in ijs codicibus, in quibus ita legitur: Beatus qui legit, & qui audiunt uerba prophetiæ, & seruant quæ in ea scripta sunt, καὶ οἱ ἀκούοντες τοὺς λόγους τῆς προφητείας καὶ τηροῦντες. Gratia uobis ab eo qui est, & qui erat, & qui uenturus est, et à septem spiritibus qui in conspectu throni eius sunt) Nescio an aliquid mysterij sit in hoc quod græce dicitur, ab ijs qui est, & ab ijs qui erat, & ab ijs qui uenturus est: siue ut ad uerbum transferam, ab ens, & ab ijs qui erat, & qui uenturus: quanquam græce propter

pter articulos concinnius dicitur, ἀπὸ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος. An uoluit Ioannes in deo significare immutabilem proprietatem? quod non facit cum nominat septem spiritus, ἀπὸ τῶν ἑπτὰ πνευμάτων. Illud autem quod, qui uenturus est, transfertur, præsentis est potius participium quàm futuri. Sed cur interpres non transtulit nunc nomen græcum throni per sedis, ut cæteris in locis facit?

Etiam amen.) Non est nunc etiam coniunctio coniunctiua, sed de qua superius disserui, quæ in usu fuit ueteribus ipso græco sono næ, ναὶ. Et facies eius sicut sol apparet) græce est, & aspectus eius, ἡ ὄψις.

CAPVT II.

SInautem uenio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo.) Insolitum est dicere sinautē pro si non, siue sin minus, siue alioqui, ut etiam græce est, εἰ δὲ μή. Nec uenio tibi legendū est, sed uenio tibi citò, ἔρχομαί σοι ταχὺ, quod nūc transfert sinaūt, paulò post trāsfert si quo minus, negatiue quidē significationē, sed barbari soni, inquiēs, similiter pœnitentiam age, si quo minus, ueniam tibi citò, εἰ δὲ μή.

Quoniam habes illic tenentes doctrinam Balaam.) barbare dicitur illic ad secundā personam pro istic, & si Græci non habent per tres personas distincta pronomina, & ab his deriuata aduerbia, hic iste, ille, Illic.

hic istic illic, & similia. Ex hoc & similibus locis consuetudo nata est barbare loquendi, illic illac illuc, pro istic istac istuc. Nec græce minus in pronomine ipso peccatur, illi pro isti ponendo: in quo peccantes longum est enumerare, quorum est Bernardus. Qui docebat Balac edere & fornicari.) Melius in ijs codicibus in quibus legitur, edere ex uictimis idolorũ, siue idolothyta, & fornicari, εἰδωλόθυτα.

CAPVT III.

Qui habet clauem Dauid, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit) græce est in futuro, & nemo claudet & nemo apiet: præterea sic legitur græce: Qui aperit, & nemo claudet eã, nisi q aperit, κλείσει αὐτὴν εἰ μὴ ὁ ἀνοίγων, καὶ κλείων, καὶ οὐδεὶς ἀνοίγει Vtinam calidus aut frigidus esses, sed quia tepidus es, neq; calidus, neq; frigidus, incipiã te euomere ex ore meo) græce potius est feruidus quàm calidus, ζεστός. nec legendum est sed, uerum sic, οὕτως. Nec græce est incipiam euomere, sed euomam, siue euomiturus sum, μέλλω σε ἐμέσαι. Suadeo igitur tibi emere à me aurum ignitum probatum, ut locuples fias & uestimentis albis induaris) græce est probatũ ex igni, πεπυρωμένον ἐκ πυρός. Et uestimenta alba ut induaris, καὶ ἱμάτια λευκὰ ἵνα περιβάλῃ. Ego quos amo, corrigo, & arguo.) Alij codices habet, arguo & castigo, græce est arguo & erudio, ἐλέγχω καὶ παιδεύω.

CAP.

CAPVT IIII.

DIcentia, ſanctus, ſanctus, ſanctus.) Quid cauſæ eſt cur cum græci codices omnes habent nouies ſanctus, latini habeant omnino ter, & myſteriū illud ter trium, qui eſt numerus ordinum angelorum, perdant? Et propter uoluntatem tuam erāt & creati ſunt) græce non legitur erant, ſed ſunt, εἰσὶ, de deo enim dicitur, quod erat, non de rebus creatis.

CAPVT V.

ET fecisti nos deo noſtro regnū & ſacerdotes, et regnabimus ſuper terrā) græce eſt, fecisti ipſos αὐτοὺς, hoc eſt nō ſolum nos xxviij. ſed etiam alios. nec legitur regnabimus, ſed regnabunt, βασιλεύουσι. nec regnum, ſed reges, ut conueniat cum illo ſacerdotes, βασιλεῖς. Et erat numerus eorum millia millium.) Non potuit lingua latina implere græcā ueritatem, in qua numerus immenſus ſignificatur: dicitur enim myriades myriadum, & chiliades chiliadū. Eſt autem myrias è decem milibus, chilias è mille. μυριάδες μυριάδων, καὶ χιλιάδες χιλιάδων. Dignus eſt agnus qui occiſus eſt accipere uirtutem & diuinitatem, & ſapientiam.) Non legitur græce diuinitatem, ſed diuitias, πλοῦτον. Myrias.

CAPVT VI.

ET audiui unum de quatuor animalibus dicentem, tanquam uocem tonitrui) uoce legendum eſt, φωνῇ, ſiue tanquam uox ſubaudiſſet, dicentē autē

pro dicens, interpres ideo lapsus est ut diceret, quia græca uox genus non distinguit, est enim casus genitiui, λέγοντος. Recte igitur mox, audiui secundum animal dicens, quod etiam græce genitiui casus est, λέγοντος.

CAPVT VII.

EX tribu Iuda duodecim millia signati, ex tribu Rubē duodecim millia signati.) Nō legitur græce sicut apud nos, in singulis tribubus signati, sed tantū in prima & ultima. hoc aūt uocabulum uenit à sigillo, sic enim trāsfert interpres σφραγῖδα, ut sciamus etiam posse transferri sigillati, si hoc uocabulū in usu esset, ἐσφραγισμένοι.

CAPVT VIII.

DIcentis uoce magna uæ uæ uæ) deest ter, ut sit, dicētis uoce magna ter, ne putares dixisse sæpenumero uæ, τρίς. Qui erant tuba canituri.) Ratio postulat, ut dicatur canturi.

CAPVT IX.

ET habebant loricas sicut loricas ferreas) græce est thoraces, θώρακας. Cui nomen hebraice abdon, græce autem apollyon, latine habens nomē exterminans) non legitur hoc græce, latine habens nomen exterminans, sed ab aliquo adiectum, quanquā insulse, cū Ioannes nō respiciat ad linguā latinā, cōtētus à Græcis intelligi, quorū līgua utebatur. Præterea græce est: In græca aūt nomē habet apollyō, cu

Ā

καὶ τῇ ἑλληνικῇ ὄνομα ἔχει ἀπολλύων. Hoc etiam nomen est illi latine, non aũt exterminans. Nam græca uoce nos utimur, quamuis interpretari poßimus exterminans, tamẽ aliud est latine sic nominari, aliud sic interpretari. Et numerus equestris exercitus eius uicies millies dena millia.) Maior hic q̃ superius uidetur significari numerus: at mihi uidetur maior significari in loco superiori, nam in hoc græce tantum dicitur myriades myriadum, ut aptius potuerit nunc transferri, millia millium, quàm superius & quàm per certum numerum, uicies millies dena millia.

CAPUT X.

ET pedes eius tanquam columna) columnæ pluraliter legendum est, στύλοι. Quemadmodũ leo cum rugit) græce est mugit, μυκᾶται.

CAPUT XI.

GRatias agimus tibi domine deus omnipotens, q̃ es, & qui eras, & qui accepisti uirtutẽ) græce est: Qui es, qui eras, & qui uenturus es, quia recepisti uirtutem, καὶ ὁ ἐρχόμενος ὅτι εἴληφας.

CAPUT XII.

ET stetit super harenam maris) steti legendum est, ἐστάθην.

CAPUT XIII.

SI quis habet aurem audiat: qui in captiuitatem duxerit, in captiuitatem uadit: qui in gladio

occciderit, oportet eũ in gladio occidi) græce est ter. si quis: neq; legitur, in captiuitatẽ duxerit, sed si quis captiuitatem habet, uadit, εἴ τις ἔχει αἰχμαλωσίαν ὑπάγει.

CAPVT XIIII.

BEati mortui qui in domino moriuntur, amodo iã dicit spiritus ut requiescãt à laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos.) Græci sic hunc locum distinguunt, ut amodo sit finis sententiæ, non principium, tametsi græca uox non magis significat amodo quàm iam, ἀπάρτι, ut superuacuum sit utrunque ponere. Sed mihi libet suspicari ab interprete fuisse translatum etiam pro affirmatiua, de qua aliquoties dixi, nam græce est, dicit etiam spiritus, λέγει ναὶ τὸ πνεῦμα, quemadmodum paulò post: Et audiui alterum angelum dicentem, etiam domine omnipotens uera & iusta iudicia tua, ναὶ κύριε. Illud autem ultimum latinius diceretur: Opera enim sua sequuntur illos seu eos, siue ut græce est, sequuntur cum eis, μετ᾽ αὐτῶν.

CAPVT XV.

QVia tu solus pius es) græce nõ est pius, sed sanctus, ἅγιος. Vestiti lapide mũdo cãdido) ferè codices græci habent lino mundo. Est autẽ similis scripturæ nõnihil lapis & linũ græce, λίθος, λίνος. Ego potius dixißẽ fulgido quàm cãdido, λαμπρὸν.

CAP.

CAPVT XVI.

IVstus es domine qui es, & qui eras sanctus, quia hæc iudicasti) græce est, ut superius admonui, erat non eras, quasi dicatur: tu domine, is qui est, & qui erat, qui sanctus: neq; enim græce sanctus refertur ad erat, ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν ὁ ἅγιος.

CAPVT XX.

SOluetur satanas de carcere suo, & exibit, & seducet omnes gentes quæ sunt super quatuor angulos terræ Gog & Magog, & congregabit eos in prælium.) Non est græce & congregabit, sed ad congregandum, siue ut græcissem, cōgregare, συναγαγεῖν. sed illud eos quò refertur? an ad angulos? id uero absurdum sit; an ad gentes? at cur nō dixit eas? Ne multis, sciamus Gog & Magog esse generis masculini, ut dicimus Assur, Amalec, Madian genere masculino, pro gentibus quæ ab his uiris originem duxerūt, qui his nominibus uocabantur. Sed græca lingua planè cuius generis sit idicat, τὸν γὼγ, καὶ τὸν μαγὼγ.

CAPVT XXI.

ET dixit mihi, factum est. Ego sum alpha & o) græce est: factus sum alpha & o, siue fui alpha & o: εἶπέ μοι, γέγονα τὸ α καὶ τὸ ω. Tanquam Iaspidis lapidi sicut crystallum) græce est tanquam lapidi Iaspidi crystallizāti, ὡς λίθῳ ἰάσπιδι κρυσταλλίζοντι.

CAPVT XXII.

EGo sum alpha & o) græce sine uerbo legitur, ego a & o, ἐγώ τὸ α καὶ τὸ ω. Beati qui lauant stolas suas) græce est, qui faciunt mandata eius. Puto erratum ab interprete: quia nõnihil similis scripturæ hic & illic est græce in uerbo lauantes & facientes: sic enim legitur græce facientes ποιοῦντες, sic lauantes, πλύνοντες. & stolas latine nonnihil in sono congruit, cum præcepta græce ἐντολάς, & suas & eius ferè eodem modo scribitur, αὐτοῦ. Etiam uenio citò, amen, ueni domine Iesu) græce non solum ante uerbum uenio est etiam, sed & ante uerbũ ueni, ναὶ ἔρχομαι ταχύ, ἀμήν, ναὶ ἔρχου κύριε ἰησοῦ.

ANNOTATIONVM LAVRENtij Vallæ in nouum testamentũ, Finis.

INDEX

INDEX EORVM QVAE NOtatu digna sunt in hoc libello.

Foras.

Secta

BASILEAE APVD AND. CRAT.





